BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
8 N
26

C 58.6

14_10.D.32

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ERYCI PVTEANI

VNVS ET OMNIS.

AMOENITAS BONAE MENTIS:

QVA

VNIVS, & ſic OMNIS, vis ac proprietas, partim ſermonis, partim rerum varietate explicatur.

Ex magno AMOENITATVM *Opere*.

Adjunctus eſt SEVERINI BOETII libellus

DE VNITATE ET VNO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA



LOVANII,
Apud IOAN. OLIVERIVM, & COENESTENIVM. M. DC. XXXIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

OPTIMO, CLARISSIMO,

AMPLISSIMOQVE V.

FRANCISCO PAZIO,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ARCHIATRO REGIO,

ERYCIVS PVTEANVS

D. C. Q.

ALIQVID per hos feriarum dies in otio negotii, imò otii in negotio ſumpſi, Optime Clariſsime, Ampliſsimeque Vir; ut quod ſermonis & rerum ubique primum eſt, ſtilo exprimerem; quod ſimpliciſsimum & VNVM, ad omnia referrem. VNIVS laudes ſunt,

Digitized by Google

recenter natæ, cùm in Magno, & iam parato, Amœnitatum Opere laborantem adhuc librorum numerum expletum irem. Non exiguum verò ab Vno incrementum fuit; quia Omnis intervênit, qui non poterat ab Vno ſejungi. Vnus etjam ex omnibus eligendus erat, cujus una hæc munita patrocinio Amœnitas, nullum famæ diſcrimen formidaret. Tu ille, verè Vnus, Litteris maximè elegantiiſque deditus, cùm omne tractes ſtudiorum genus, omneſque pacis artes tranquillo & lare & animo complectaris. Armatus non es: magna tamen Militiæ Regiæ pars; cujus auctoritate ipſa exercituum Hygeia in provinciis Belgicis regitur. Hoc ſanè Vnius eſt, & eâ præcipuè arte eminentis, quæ ad ſummam ſolidamque laudem una facit.

Ἰατρὸς

Ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων:
Vir Medicus multis aliis præſtantior unus.

Verè præſtantior: quia inter multos, ut ſic dicam, aut Deus quidam eſt, aut id agit, quod eſt Dei. In terra enim quamdiu vivimus homines, homines ſumus, & morbis obnoxii: non omnino infelices tamen, quia ope humanâ, & plus quàm humanâ, ſublevamur. Reges quoque Principeſque homines ſunt, & peculiari obſequio Medicos ſibi principes, ſive Archiatros ſuos habent; ut qui omniùm bono Summi ſunt, minora corporis mala patiantur. Regem ego noſtrum inter Reges, te Archiatrum Regis inter Archiatros ſuſpicio ac veneror: Regem Potentiſſimum & Invictiſſimum; qui quid ſit Vnum eſſe, in maxima, & cùm Orbe extenſa fortuna oſtendit: te verò digniſſimum

Digitized by Google

ſingulari munere tuo, quem felix peritia, & perita felicitas venerabilem primâ canitie facit, quibuſdam velut divinæ naturæ radiis collucentem. Vita tua, ſapientiæ exactiſsima regula eſt: mores, pietate, prudentiâ, humanitate compoſiti, mitiſsimam omnibus ſeveritatem commendant. In partem laudis honeſtiſsimi otii negotium Bibliotheca computatur, ad ſplendorem magnifica, ad uſum copioſa, ad æternitatem inſtructa. Et quid ſi Vnam quoque appellem? Nimirum tua omnis in libris voluptas eſt; quos cùm legis omnes, unus quicquid omnes ſciunt, tibi colligis, doctus facunduſque, ingenii beneficio; magnus, famæ teſtimonio; tanquàm inter omnes ſingulari modo Vnus habearis. Mihi igitur ad Doctum & Facundum ire, ſuave eſt: Magnum

autem

autem & Vnum etjam parvo audebo munere, pridem jam familiaris, quia devinctus, interpellare. Parvo, quod de VNO eſt, & in exiguo tamen neſcio quid magni continet. Sic poſt Ariſtotelem, de Ente & Vno libellum Picus Mirandulanus ſcripſit, & magnitudine argumenti implêſſe Orbem terrarum viſus eſt: de Vnitate & Vno Severinus Boëtius, tribuſque paginis perfectum dare volumen potuit: de Perfecto & Vno D. Dionyſius Areopagita, & caput unum, tanquam opus vaſtum, contemplatione de Divinis Nominibus, abſolvit. Serii hi omnes: ego Amœnus fui, vim Vnius ac proprietatem, quo Omnis continetur, partim ſermonis, partim rerum varietate explicavi. Vt omnibus ſcriberem, tibi Vni placere ſtudui: placebit omni-

bus,

bus, quod tibi ſcriptum eſſe non unus videbit. Aut fallor, aut in Vno omnes omnia invenient: tuus certè Vnus erit. Vale, & Amœnitatem iſtam ama, quia meam: me verò, quia tuum. Scripſi Lovanii, in Arce, xi. Kal Septemb. ∞. IϽC. XXXIII.

PLINIVS

IN PRÆFATIONE NAT. HIST.

Magna pars, ſtudiorum amœnitates quærimus.

POETA ANTIQVVS ET INCERTVS.

Inveniat quod quiſque velit: non omnibus unum eſt
Quod placet: hic ſpinas colligit, ille roſas.

ERYCI

Digitized by Google

ERYCI PVTEANI

VNVS ET OMNIS.

AMOENITAS BONAE MENTIS:

QVA

Vis VNIVS & proprietas, partim ſermonis, partim rerum varietate explicatur.

CAPVT I.

Ingreſſus ad Amœnitatem VNIVS. *Argumenti pretium, ac partitio.*

DELICATVM Romani ſermonis genium eſſe, & in promiſcua loquentium ſcribentiumque turba ſæpius violari, nemo unus neſcit. Plures ubique Barbari ſunt, qui cùm verborum cultum negligunt, res ipſas vario & obſcuro coguntur horrore impedire. Non Barbari, tamquam alio ævo nati, lætiori linguâ mentem aperiunt, & rationis pretium orationis lumine commendant. Aliquando in receptis &

Digitized by Google

communibus error eſt, aliquando uſus elegantiam corrumpit. Alii alias examinent voces formulaſque; unam hanc ego hoc tempore, quæ de VNO & OMNI eſt, & in omnium verſatur ore; periculum latinitatis facturus. Omnem qui linguam, ſcientiam, virtutem, tamquam unam conſiderant, ingenio amœni ſunt, & compendio ſapiunt: complectar uno omnia, & partim ſermonis cauſsâ, quid in Vno Romanæ aures patiantur; partim argumenti, quàm latè ſe extendat ſimpliciſſima ſignificatio, breviter explicabo. Hac Amœnitate, quæ Philologiæ, & bonæ mentis ſpatijs definitur, an ad ſapientiam accedam, unus experiar: poterunt omnes hac ſapientiâ amœni eſſe, & latinitatem, velut ſapientiæ miniſtram, æſtimare.

CAPVT II.

In Vno eſſe omnia & omnes: Vnum in omnibus.

SI, quod varium, pulchrum eſt, & laude dignum; unum inprimis vocabulum, quod Vnius eſt, ſui encomium continet. Vnus, quaſi Proteus eſt; ſed ſolâ elegantiâ multiformis.

Quid-

Google

Quidquid comprehendere numero voles, in Vno invenies: quidquid ſegregare à numero, in Vno. Vt omnia dicam, in uno dicam eſſe omnia. Quæcumque enim ſunt ſingula, unum ſunt: omnia rurſus & conjuncta, ad unitatem redeunt. Homo ſimpliciter unus eſt homo: at humanum genus omnes ſunt homines, & tamen unum: in uno enim ſunt omnes. Huc faciunt quæ Collectiva appellamus, & ſingulari multitudinem ſignificant; ut, una gens, unus populus, unus cœtus, una civitas. Item quæ una plures partes continent; ut, As unus duodecim uncias, unus denarius decem vel ſedecim aſſes, unus Aureus viginti quinque denarios, ſive ſeſtertios centum. Simili ratione Milliare unum eſt, & mille paſſus includit: imò mille unum eſt, & Latinè ſingulari numero effertur. Ergò mille paſſuum eſt, non ſunt: ſic mille annorum, mille hominum, mille nummûm, apud A. Gellium, lib. 1. cap. XVI. *Mille numero ſingulari dictum eſt: neque hoc, ut quidam putant, vetuſtati conceſſum eſt, aut per figurarum concinnitatem admiſſum eſt; ſed ſic videtur ratio poſcere. Mille enim non pro eo ponitur, quod Græcè χίλιοι dicitur, ſed quod χιλιάς: & ſicut una χιλιάς, &*

dua χιλιάδες; ita unum mille, & duo millia certâ atque directâ ratione dicitur. Quamobrem id quoque rectè & probabiliter dici ſolitum: Mille denariûm in arca eſt, & mille equitum in exercitu eſt. Πληθυντικῶς verò, mille denarii in arca ſunt, mille equites in exercitu. Vtrobique igitur eadem diverſo numero ſumma eſt; quia mille ſimpliciter unum eſt, & unum plura.

CAPVT III.

Vnus non uno modo dicitur. Ennii verſus peculiariter expenſus.

LOquendi formulæ plures ſunt: ſed maximè communi, Vnus numero unus eſt; quemadmodum primus ordine. Vnus numero, & à multitudine, ſive univerſitate, ſimplici naturâ diſcretus. Virgilius:

Vnum pro multis dabitur caput.

Vnus deinde ſolus eſt, atque hac phraſi apud Plinium, lib. XI. cap. XXXVII. *Calvitium uni tantùm animalium homini.* Apud Senecam, epiſt. I. *Tempus unum eſt, quod ne gratus quidem poteſt reddere.* De Q. Fabio Maximo Cunctatore, quem imperij ſcutum Populus Romanus vocabat, Livius lib. XXX. *Sicut dubites, utrum ingenio cunctator fuerit, an quia ita bello propriè,*

quod

quod tum gerebatur, aptum erat: ſic nihil certius eſt, quàm unum hominem nobis cunctando rem reſtituiſſe, ſicut Ennius ait. Ennii verſus ſunt:

Vnus homo nobis cunctando reſtituit rem.
Non ponebat enim rumores ante ſalutem.
Ergò poſtque magiſque viri nunc gloria claret.

Virgilius, quem imitatus eſt, ſuperare potuit:

---- *Tu Maximus ille es,*
Vnus qui nobis cunctando reſtituis rem.

Solum Serenus maluit, quàm unum dicere:

---- *Fabio verum cognomen adhæſit,*
Qui ſolus Patriæ cunctando reſtituit rem.

Quid Auguſtus? Vt Tiberium laudaret, illud cunctando in vigilando, velut παρῳδήσας mutavit, teſte Suetonio:

Vnus homo nobis vigilando reſtituit rem.

Atque hic nobis verſus Belgis, gravi Martis conſternatione defunctis, jucundus & opportunus ſit, quo Summi & Excellentiſſimi Heröis, Francisci Moncadæ, Marchionis Aytonæ, unâ omnes virtute honoris titulos ſuperantis, famam veneramur. Vnus enim ille verè eſt, qui rerum ſummam in ſe ſuſcipiens, vigilando oſtendere potuit, Vnius Maximique Regis arma invicta eſſe, quia Vnius ſunt; ſapientiâ regi mi-

litiæ molem, fiduciâ erigi. Nova ecce Moſæ vincla injecta ſunt, tanquam cogi fortunam poſſe, fluvius, in una inſula victus, fateatur. Imò nova victoriæ ſpes patefacta eſt, quia MONCADA pugnat; nova pacis, quia MONCADA vincit: ita enim pugnat, ut poſſit vincere.

CAPVT IV.

Omnis Vnus. Vnum multa. Non unus. Vnus præcipuus. Vnus primus.

VNi & ſoli Omnis adjungendus eſt. Omnem autem & omnes intelligimus, cùm vel jungimus, vel ſeparamus ſingulos: ſinguli enim eſſe non poſſunt, niſi ſint univerſi. Monas quidem, ſcribente Martiano Capellâ, lib. VII. *Vbique pars eſt, ubique totum, dum per cuncta perpetua.* Huc priſca facit locutio apud Varronem, lib. IV. de lingua Latina: *Olim unum dicebant multa. Itaque cùm in dolium aut culeum vinum addunt ruſtici, primâ urnâ additâ, dicunt etjam nunc multa.* Idem apud noſtros hodie ruſticos; qui primo in vehiculum manipulo injecto, acclamare ſolent: *Hoc multum eſt.* Atque hic ritus non ſine riſu erat, ut notatur Synodo VI. Canone LXII. *Neque execrandi Bacchi*

nomen uvam in torcularibus exprimentes invocent, neque vinum in doliis effundentes riſum moveant. Sed ut apud Romanos unus, omnis: ſic apud Hebræos, Non unus, nemo eſt. Lib. Danielis. cap. xx. *Non unus qui confirmet ſe mecum in iſtis, niſi Michaël Princeps veſter.* Vbi vulgata editio : *Nemo eſt adjutor meus.* Cæterùm latinè, non unus, plures ſunt : quam loquendi formulam Tullius amavit, Ad Q. Fratrem, lib. 1. epiſt. 1. *Superioribus litteris non unis, ſed pluribus, ſpem maturæ deceſsionis adſerebam.* Virgilius:

Nec pingues unam in faciem naſcuntur oliva.

Vnus etjam eminentiam ordinis ſibi vindicat. Vt apud eundem Poëtam:

---- *Ripheus juſtiſsimus unus,*
Qui fuit in Teucris.

Vbi unus à Servio, non ſolus, ſed præcipuus explicatur. Apud eundem :

Tum ſenior Nautes, unum Tritonia Pallas
Quem docuit.

Vnum enim præcipuum, cum eodem Servio intelliges. Vnus denique, idem & æqualis. Idem Virgilius:

Omnibus hic erit unus honos.

In nu-

Digitized by Google

In numeris quoque, ſed ordinis, unus primus eſt. Sic efferuntur, *Unus & vigeſimus, unus & trigeſimus*, & ſic deinceps. Hebræis communiter, dies unus, una Sabbathi, primus, & prima eſt.

CAPVT V.

Unius conjuncta, item compoſita, & Adverbia.

IVnctim efferuntur: *unuſnullus, unuſaliquis, unuſullus, unuſnemo, nemounus, nemounusvir, quiſquamunus, unuſquiſque, unuſquivis, quiviſunus, quilibetunus, quidamunus, unuſquidam, idemunus, unus & idem, unus & ſimplex, unus & alter, unus aut alter, uniuſmodi.* An & nihil placet? *Nihil unum* Romani uſurparunt. Exempla, quamvis obvia, breviter percurro. Vnusaliquis, apud Cicer. lib. II. Officior: *Cùm premeretur in initio multitudo, ab iis qui majores opes habebant, ad unumaliquem confugiebant virtute præſtantem.* Vnus ullus, aliquis eſt, apud eundem, orat. II. de Lege Agraria: *Ratum ſit, quod finitor uniulli, à quo miſſus erit, renunciaverit.* Vnus autem pro aliquo, à Plauto videtur uſurpari, in Truculento:

Sed

Sed tandem loquere: qui is homo eſt? Aſtaphium, unúſne amator?

Item:

Sed eſt huic unus ſeruus violentiſſimus.

An fortaſſis unus inter multos? Cicero quoq; ad Caſſium lib. XV. epiſt. XVI. *Quicum loquor? cum uno fortiſſimo viro.* An cum ſolo? Hebräiſmum tamen hîc excuſes. Lib. II. Reg. cap. IV. *Egreſſus eſt unus in agrum, ut colligeret olera.* Et paſſim. Vnusnullus, apud Ciceronem, de Provincijs Conſularibus: *Vt niſi Cajus Virginius Legatus, vir fortis & innocens interveniſſet, unum ſignum Byzantii ex maximo numero nullum haberent.* Nemounus, apud eundem, lib. V. Tuſcul. Quæſt. de Epheſiis, Hermodorum expellentibus: *Nemo de nobis unus excellat: ſed ſi quis exſtiterit, alio loco, & apud alios ſit.* Vnusnemo, in Rhetorica ad Herennium: *Vnus omnes artis partes conſequi nemo potuit.* Nemounus vir, apud Livium lib. IX. *Nemo unus erat vir, quo magis innixa res Romana ſtaret.* Quiſquamunus, ut alter quiſquam, apud eundem Livium, lib. XXXII. *Hortatio prætoris non modò quemquamunum elicuit ad ſuadendum; ſed ne fremitum quidem aut murmur concionis tanta, ex tot*

populis congregata, *movit*. Vnuſquiſque, apud Ciceronem, lib. III. Offic. *Vnum debet eſſe omnibus propoſitum, ut eadem ſit utilitas uniuſcujuſque & univerſorum: quam ſi ad ſe quiſque rapiat, diſſolvetur omnis humana conſociatio.* Vnuſquivis, apud Terentium, in Andria:

---- *Vna harum quavis cauſa me ut faciam monet.*

Quiviſunus, apud Ciceronem in Bruto, de Claris Oratoribus: *Non quivisunus è populo*. Quilibetunus, apud Quinctilianum, lib. V. cap. X. *Quod populus credidit, omnibus debetur; & quamdiu quilibetunus ſuperfuerit, is totius ſummæ eſt creditor.* Quidamunus, ut unuſquidam apud Quinctilianum, lib. XI. cap. III. *Illi virtuti (æqualitati) contrarium eſt vitium inæqualitas; hinc qui dicitur μονοειδὴς, quaſi quidamunus aſpectus.* Idemunus, ad Herennium: *Ejuſdemunius aut plurium verborum imitatio.* Idem & unus, apud Horatium, lib. II. epiſt. III.

Nave ferar magnâ an parvâ, ferar unus & idem.

Vnus & ſimplex, apud Ciceronem, pro Fonteio: *Unum eſt & ſimplex aurium judicium.* Vnus & alter, apud Poëtam Lyricum, de Arte Poëtica: *Vnus*

---- *Vnus & alter*

Aſſuitur pannus.

Vnus aut alter, apud Ciceronem, lib. VII. ad Atticum: *Quid enim eſt tantùm in uno aut altero die?* Vniuſmodi, apud eundem Ciceronem, de Vniverſitate: *Materia ſemper eſt uniuſmodi, ſuique ſimilis.* In partitione uſurpantur, Vnus, alter; unus, alter, tertius; Vnus, alter, plures: quemadmodum, primus, alter; primus, ſecundus; primus, alter, tertius; primus, ſecundus, tertius. An & compoſita recenſeo? Paucula ſunt: *Vnanimus* Virgilio, *unanimitas* Livio, *unicalamus* Plinio, *unicaulis* eidem, *unicolor* Ovidio, *unicornis* Plinio, *unicorporeus* Firmico, *uniformis*, & *uniformitas* Macrobio, *unigenitus* Theologis, *unigena* & *unigenus* Ciceroni, *unijuga* Plinio, *unimanus* Livio, *unimodus* Apuleio, *unoculus* Plauto, *uniſtirpis* Plinio, *universus*, *univerſalis*, & *univerſitas* Ciceroni, *univira* Tertulliano, *univocus* Philoſophis. Sed Græci hic feliciores. Iam & in numeris, *undecimus*, *undeviceſimus*, *undetriceſimus*, & ſic deinceps. Item, *undeviginti*, *undetriginta*, *undequadraginta*. Adverbialiter *unicè*, ſingulariter. Plautus Truculento:

C ij *Amo*

Amo unicè unum.

Uniter, conjunctè. Lucretius:

--- *Cùm corporis atque animäi*
Diſsidium fuerit, quibus haſimus unitèr apti.

Unosè antiquum, pro ſimul. Pacuvius, referente Nonio:

Occidiſti, ut multa paucis verba unosè obnunciem.

Ne derivativa deſint, unda quaſi una dicitur, & in ſe coacta, cùm mare ventis agitatum intumeſcit. Vncia quoque, tamquam ex duodecim aſſis partibus una. Vngo, quaſi ùnum ago & vnio. Vnguento enim denſatur caro & unitur. Cuneus, quaſi coïneus: eſt enim in unum coïtio. Vnedo arbor & fructus, apud Plinium, lib. xv. cap. xxiv. *Quod unum tantum pomum edatur.*

CAPVT VI.

Formulæ unius diverſæ. Vnus, & unus è multis.

COmmunes verò locutiones ſunt: *Unus multorum, unus omnium, unus ex omnibus, unus de multis, unus è multis, unus è vulgo, populo, cœtu.* Aliquando ſubticetur in oratione Vnus,

Vnus, ut magis emineat. Apud Quinctilianum lib. IX. cap. I. *Nec deſunt, qui tropis figuræ nomen imponant; quorum eſt C. Artorius Proculus:* id eſt, quorum unus eſt. Aliud tamen eſt unum eſſe, quod ad laudem facit; aliud, unum è multis, quod ad vilitatem. Vnus eſt, qui ſingularis, & ſuâ quadam conditione excellit: Vnus è multis, qui æqualis aliis, nullum peculiarem ſive ingenii, ſive fortunæ gradum ſortitus eſt. Vnum ſic quidem Q. Cicero, ad Fratrem Marcum ſcribens, accipit, de Petitione Conſulatûs: *Roma eſt civitas ex nationum conventu conſtituta; in qua multæ inſidiæ, multæ fallaciæ, multa in omni genere vitia, verſantur: multorum arrogantia, multorum contumacia, multorum malevolentia, multorum ſuperbia, multorum odia ac moleſtia (Vni) perferenda eſt. Video eſſe magni conſilii atque artis, in tot hominum ejuſmodi vitiis, tantiſque verſantem, vitare offenſionem, vitare fabulam, vitare inſidias; eſſe Vnum hominem accomodatum ad tantam morum, ac ſermonum, ac voluntatum varietatem.* Sed profectò nec una, nec uno tempore Roma eſt: in unum aliquem plures ubique, etjam hodie incurrunt, & plenis ſæpe buccis debacchantur. Neque ideo

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

tamen unus ille eſſe unus definit. Quid verò ſit Vnum è multis eſſe, in Caninio ſuo notat Plinius, lib. 1. epiſt. 111. *Si te poßident deliciæ tuæ, felix beatuſque es* (id eſt, unus es) *ſin minùs, unus è multis.* Sic & Ciceroni Callidius laudatur, in Bruto: *M. Callidius non fuit orator unus è multis; potiùs inter multos propè ſingularis fuit.* Ejuſdem Ciceronis formulis, Vnus è fortunatis, fortunatus eſt; unus è ſummis, ſummus eſt; una pro omnibus miſeriis, omnis eſt. Sic quidem ad venuſtatem latinam facit, *Vnus omnium animus, una conditio, una opera, una res, una ſpes, una quies, una ætas, una ſalus, unum periculum.* Virgilius:

Quò reſcumque cadent, unum & commune periclum,
Vna ſalus ambobus erit.

CAPVT VII.

Vno efferri omnia. Vnius pluralitas, & plenitudo.

AVferendi caſu, *Vno ore, uno tenore, uno nomine, uno vultu, unâ voce, uno verbo, unâ operâ, uno tempore, uno die, uno loco,*

uno

uno gradu, *uno faſce*, *uno collyrio*, *unâ cerâ*, *uno impetu*, *uno ictu*, apud bonos Scriptores. Quid opus exemplis? Vno ore hæ ab omnibus formulæ uſurpatæ ſunt, uno hîc ore unus aut alter loquatur. Cicero in Lælio: *Vna eſt amicitia in rebus humanis, de cujus utilitate omnes uno ore conſentiunt.* Terentius in Andria:

---- Vno ore omnes omnia
Bona dicere, & laudare fortunas meas.

Ita & Græci: ἐξ ἑνὸς στόματος, καὶ μιᾷ φωνῇ: *Ex uno ore, & unâ voce.* Peculiari ſignificatione, *Vnâ ſcuticâ omnes impellere*, & *Vnâ perticâ tractare.* Aliquid etjam venuſtatis videtur pluralitas adferre; ut, *una littera*, *copia*, *ades*, *uni ſex dies*. Latinum igitur; imò Ciceronianum eſt, *unis moribus, unis legibus vivere*, quemadmodum *uno exemplo.* Ad perfectionem quoque & plenitudinem vocabulum unius refertur, ad unum omnes. Cicero in Lælio: *De Amicitia verò omnes ad unum idem ſentiunt.* Virgilius:

Iuppiter omnipotens ſi non exoſus ad unum
Omnes Troianos.

Digitized by Google

CAPVT VIII.

Res conſiderata. Deus unus, unus & omnis. Natura una. Monadis conditio.

SEd ut à Sermone ad Rem veniam, omnia quæ ſunt, ideo videntur eſſe, ut unum ſint: unum omnia, quia à Deo, qui unus eſt; quia ab uno, qui Deus eſt,

Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventoſum, & urbes regnaque triſtia,
Divoſque, mortaleſque turmas
Imperio regit Unus æquo.

Vnus, inquam, quia ſummus, æternus, infinitus. Vnus, quia uni ſibi ſimilis, major omnibus: quem Deum eſſe, ideo fatentur omnes, quia unus eſt, & à multitudine quàm maximè ſeparatur. Vnus voluntate, bonitate, majeſtate; in ſe perfectus & immutabilis, circulus in centro, & centrum in circulo, terminus ſui, nullo tamen immenſitatem termino limitans. Vnus ubique, unus ſemper, VNVS ET OMNIS: cujus ſi initium quæris, nunquam cœpit; ſi finem, nunquam deſinet: ipſe verò initium rerum omnium ac finis, α & ω, ante quem, & poſt quem

quem nihil. Pater omnium, quia fuit Vnus ante omnia, & generari non potuit: non tempori obnoxius, non mutationi; in tempore tamen mutans omnia. Ab eo Vno fuerunt, ſunt, erunt omnia. Vnus autem neque fuit, neque erit; ſed eſt, æternitatis periodo præteritum, præſens, futurum, & quicquid dici, quicquid cogitari poteſt, comprehendens. Totam naturam inſpice, hæc una eſt, & aliquam Dei imaginem repræſentat. Si bonus ipſe es, & animo magis quàm corpore vives, aliquid in te quoque Dei, aliquid Vnius exprimes: à natura non abibis. Sanè Deus, ut dixi, Vnus eſt, & apud Hebręos *Achar*, ſive *Achad*, non minùs Deum, quàm unum ſignificat: Deum autem, quia unum. Solem hunc apud Aſſyrios fuiſſe, Macrobius refert; licet *Achad* in *Adad* mutaverit, lib. I. Saturn. cap. XXIII. *Accipe quid Aſſyrii de Solis potentiâ opinentur. Deo enim, quem Summum maximumque venerantur, Adad nomen dederunt: ejus nominis interpretatio ſignificat* VNVM: *Hunc ergò, ut potentiſſimum adorant Deum.* Simpliciter verò imaginem Dei in Monade Pſellus exhibet, de numeris: *Vnitas numerus non eſt, ſed numeros gignit, fons, & radix, adeoque primordium*

omnis multitudinis. Quo ſit, ut imaginem in ſe Dei contineat: qui cùm nihil ipſe ſit eorum, quæ in natura rerum exiſtunt; ea tamen omnia efficit, omnino immutabilis, qui neque alteratur ipſe, & quibus rebus adeſt, immutabilitatem eis communicatione donat. Ita enim & Unitas, in ſeipſam dum multiplicatur, neque vertitur, neque alteratur. Si in aliquos verò ipſa numeros ducitur, nequaquam illi ſuam exinde multitudinem excedunt. Semel enim unum, unum eſt, non amplius; ſemel duo, duo ſunt: eademque ratione in aliis numeris. Eadem in eodem Macrobio, lib. I. in Somnium Scipionis, cap. VI. *Monas initium finiſque omnium, neque ipſa principii, aut finis ſciens, ad ſummum refertur Deum, ejuſque intellectum à ſequentium numero rerum & poteſtatem ſequeſtrat: nec in inferiore poſt Deum gradu eam fruſtra deſideraueris. Hæc illa eſt mens ex ſummo enata Deo, quæ vices temporum neſciens, in uno ſemper quod adeſt conſiſtit ævo: cumque, utpote una, non ſit ipſa numerabilis, innumeras tamen generum ſpecies & de ſe creat, & intra ſe continet.* Martianus Capella Monadem Iovem nuncupari ait, lib. VII. *quod ſit idem caput ac pater Deorum.* Sed quid Macrobii, Pſelli,

Pſelli, Capellæ, aut aliorum verbis opus, ſi uno eſſe contentus Platone poteram? qui paſſim hoc agit; ſed in uno potiſſimùm Parmenide, opere planè divino & unico, & quo non alios tantùm Philoſophos, ſed ſeipſum ſuperavit. Hìc incredibili ſubtilitate oſtendit, Vnum rerum omnium eſſe principium, eſſe ſuper omnia, & ab illo omnia: eſſe unum extra omnia, & in omnibus; eſſe ex uno, per unum, & ad unum omnia; eſſe ſummum Deum.

CAPVT IX.

Omnia & ſingularia unum. Ens unum, & univocum.

IAm verò quæ poſt Deum à Deo ſunt, vel ideò quia ſunt, & quia à Deo, unitatem aſſumunt. Hæc verò vel ſingula, vel etjam multa. Singula quidem ſuâ naturâ ac ſimplicitate unum ſunt: multa, varietate diſtinguuntur. *Quæ multa partibus*, ut D. Dionyſium exprimam lib. de Divinis Nominibus, *unum ſunt toto; quæ multa adjunctis, unum ſubjecto; quæ multa numero, unum ſpecie vel genere; quæ multa poteſtate, unum energiâ. Nec quicquam eſt, quod non*

 aliquo

aliquo modo ſit unum. Theologi hodie, nec non Philoſophi plerique ſubtiliores, diſputationibus ſuis Ens aliquod unum & ſummum ſtatuunt: id verò de Deo & rebus à Deo creatis univocè dici: univocè de Subſtantia & Accidente. Cùm enim Vnivoca ab Ariſtotele dicantur, *quorum & nomen commune eſt, & ratio nomini accomodata, eadem*; volunt reſpectu Dei & rei creatæ; item Subſtantiæ & Accidentis, aptum plenumque convenientiæ fundamentum eſſe, quo formatio, ſive conceptus Metaphyſicus Entis univocè communis, ab utriſq; abſtrahatur. Quando enim ratio diverſis convenit, ſejungi à differentiis mentis imaginem actione mentis, quæ communionem præſcindit. Siquis igitur dicat, Subſtantia eſt Ens; nihil Accidentis eſſe: vel; Accidens eſt Ens; nihil eſſe Subſtantiæ. Id ni ita ſe haberet, abſurda ſequi, dicique poſſe; Subſtantiam eſſe Subſtantiam, vel Accidens, quia Ens eſt: Accidens eſſe Accidens, vel Subſtantiam, quia Ens eſt. Hæc Metaphyſicè. Scimus enim Deum, & rem à Deo creatam, univoca Phyſicè non eſſe: eſſe diſcrimen in utroque infinitum. Quippe rem à Deo creatam, ſi cum Deo comparetur, vix umbram eſſe immenſæ illius lucis;

lucis; longeq́ue minorem proportionem habere, quàm ſpecies mente formatæ colorum aut ſonorũ, cum veris coloribus & ſonis: quæ tamen inter Vnivoca non ſunt. Hinc ſanè non invenuſtè D. Dionyſius Areopagita rem creatam cum Auctore Deo conferens, ἔχαλον ἀπήχημα appellat; quaſi *ſoni imaginem & velut caudam redeuntis*: ſonum, inquam, non ſonum.

CAPVT X.

Chaos unum. Mundus unus. Terra una, una potiſſimùm gente mundum illuſtrans.

CHAOS illud antiquum ſi admittimus, unum aliquando erat, Poëta teſte:

Vnus erat toto naturæ vultus in Orbe,
Quem dixêre Chaos.

Faciunt huc Feſti, Heſiodum explicantis, verba: *Chaos eſſe confuſam quandam ab initio unitatem hiantem patentemq́ue in profundum. Ex eo &* χαίνειν *Græci, & nos hiare dicimus.* Ipſe mundus unus eſt; quia unius & opificium & ſimulacrum Dei. Vnus, & ab uno; perfectus, quia unus, & ab uno; finitus, ſed ab infinito: creari enim non potuit, & infinitus eſſe. *Totus*, ut

cum Plinio dicam, lib. 11. cap. 1. *in toto, imò verò ipſe totum; finitus, & infinito ſimilis, omnium rerum certus, & ſimilis incerto; extrà, intrà omnia complexus in ſe; idemque rerum naturæ opus, & rerum ipſa natura.* Accuratè Cicero de Vniverſitate: *Rectène unum mundum diximus, an plures & innumerabiles fuit dictu verius & melius? Vnus profectò, ſiquidem factus eſt ad exemplum. Quod enim omnes animantes eos, qui ratione intelliguntur, complectitur, id non poteſt eſſe cum altero: rurſus enim alius animans, qui eum contineat, ſit neceſſe eſt, cujus partes ſint animantes ſuperiores, cœlumque hoc ſimulachrum illius ultimi ſit, non proximi. quorum nequid accideret, atq; ut hic mundus eſſet animanti abſoluto ſimillimus, hoc ipſo quòd ſolus atque unus eſſet, idcirco ſingularem Deus hunc mundum atque unigenam procreavit.* Deinde: *Vnus eſt mundus, nullâ parte, unde alter generetur, relictâ.* Abeat igitur, imò ſe nunc rideat Democritus, qui plures & innumerabiles eſſe mundos voluit: qui cùm unum non caperet, nec ſeipſum quidem in uno; naturam ubi non eſſet, ſcrutari voluit; ubi eſſet, ignorare. Vnus mundus eſt, una in mundo terra eſt. *Sic hominum*

num illa, ut cœlum, Dei, ſcribente Plinio, lib. II. cap. LXIII. quam unam matrem eſſe omnium, omnes & vitâ, & morte confitemur. Vitâ, *quia naſcentes excipit, natos alit, ſemelq́; editos ſuſtinet ſemper.* Morte, *quia noviſſimè complexa gremio jam à reliqua natura abdicatos, tum maximè, ut mater, operit.* Hanc Majam eſſe, à magnitudine, & Matrem magnam in ſacris appellatam, Macrobius refert, lib. I. Saturn. cap. XII. Imò hanc eandem Bonam Deam, Faunamque, & Opem, & Fatuam Pontificum libris indigitari. Bonam, *quòd omnium ad victum bonorum cauſſa eſt:* Faunam, *quòd omni uſui animantium favet:* Opem, *quòd ipſius auxilio vita conſtet:* Fatuam à fando, *quòd infantes partu editi, non priùs vocem edunt, quàm attigerint terram.* Habemus mundum, habemus terram: Sed plures in mundo & terra gentes ſunt; quarum una potiſſimùm, quaſi mundi imperio digna, omni virtute eminuit. Et quænam illa? Romana, ſi Plinium audimus, lib. VII. cap. XI. *Gentium in toto Orbe praſtantiſſima omni virtute, una haud dubiè Romana exſtitit.* Hinc etjam ſi eundem audimus, lib. VII. cap. XXX. *Plures una gens (Romana) in quocumque genere eximios tulit, quàm*

catera

cæteræ omnes terræ. Vnum hoc Plinium dicere ſatis erat; cui tamen Scriptores paſſim omnes, præcipuè verò Plutarchus, de Fortuna Romanorum, adſtipulantur. Virtus quidem Romanos extollit; ſed ſi ad Eloquentiam & Sapientiam admiratio tranſeat, *Vna urbs Attica*, teſte Velleio, lib. 1. *pluribus annis eloquentiâ, quàm univerſa Græcia, uberiuſque floruit; adeò ut corpora gentis illius ſeparata ſint in alias civitates, ingenia verò ſolis Athenienſium muris clauſa exiſtimes.*

CAPVT XI.

Natura Dei index. A Deo omnia, ab uno varia. Sol unus, una Luna, Elementa ſingularia.

AD naturam redeo: hæc una eſt, vis ac ratio Dei, quæ mundum, & quæ in mundo ſunt, cõtinet omnia, & cujus viciſſim nomine omnia continentur. Quidquid vides, quidquid audis, quidquid intelligis, natura eſt, & Deum Auctorem omnium indicat. Sine Deo natura eſſe non poteſt; Deus tamen ſine natura. Mundum natura ſequitur; ſed ſine mundo poteſt eſſe Deus. Vnus Deus, unus Mundus,

una Natura: in omnibus eadem, & tamen varia; quia mutat ac transformat omnia.

Nec ſpecies ſua cuique manet, rerumq́ue novatrix
Ex aliis alias reparat Natura figuras.

Vnus quoque in mundo Sol eſt, & quia ſolus lucet, unuſque illuſtrat omnia, Sol appellatur. Vnus, inquam, quia, *ſi gemini forent*, ut Serinus ait in Apomnemoneumatibus, apud Stobæum, Sermone CXLVI. *periculum immineret, ne incendio omnia interirent*. Et quomodo unus? *Dux, & Princeps, & moderator luminum reliquorum, mens mundi*, ut Ciceronis verbis utar, in Somnio Scipionis, *& temperatio: tantâ magnitudine, ut cuncta ſuâ luce luſtret & compleat*. Ad quæ verba Macrobius, lib. I. cap. XX. *Hunc Ducem & Principem Heraclitus fontem cœleſtis lucis appellat. Dux ergò eſt, quia omnes luminis majeſtate præcedit. Princeps, quia ita eminet, ut propterea quòd talis ſolus appareat, Sol vocetur. Moderator reliquorum dicitur, quia ipſe curſus ipſorum recurſuſq; certâ definitione ſpatii moderatur. Mens mundi, ita ut Phyſici eum cor cœli vocaverunt. Temperatio verò mundi dictus, quia non ſolùm terram, ſed ipſum quoque cœlum,*

quod verè mundus vocatur, temperari à ſole, certiſſimum eſt. Ad lunam deſcendo? Et hæc formæ varietate una eſt, familiariſſimum terris ſidus, & in tenebrarum remedium à Natura repertum. Elementa quoque ſingula unitatis prærogativâ ſuam ſibi ſtationem vindicant. Ideo elementa, quæ cùm miſcentur, totam naturam variant. Breviter Martianus Capella, lib. VII. de Monade, Dei, & Solis, & Lunæ, atque Elementorum unitatem proponit: *Hanc igitur, Patrem omnium Iovem ritè eſſe memoratum, quod quidem Idalis intellectualiſque ſpeciei vis cauſſativa teſtatur. Ad cujus exemplum unum Deum, unum Mundum, unumq; Solem, ſingularemque Lunam, Elementa etjam, in quo exſtant ſingula, memorari.*

CAPVT XII.

Ab uno homine omnes homines. Vni omne ferè malum adeſſe. Vni nocere quemcumque poſſe, cuicumque unum.

HOminem adjunge: hic quoque in principio rerum unus: qui quamdiu unus, innocens fuit; ſociatus, in prævaricationem reatûs

reatùs incidit. Si cum reliquis animalibus comparetur,unus excellit,quia ratione prędit us,& ad ſimilitudinem illius creatus,qui unus eſt,&àquo ſunt omnia , Deus. Vnus igitur homo; & tamquam Deus;Homo, & in terram ſuam abjectus, nobilior an miſerior incertum, melior an peior, parente naturâ an novercâ.Cum Plinio dicam,è præfat. lib. VII. *Vni animalium luctus eſt datus, uni luxuria , & quidem innumerabilibus modis, ac per ſingula membra, uni ambitio, uni avaritia, uni immenſa vivendi cupido , uni ſuperſtitio, uni ſepulturæ cura , atque etjam poſt ſe de futuro. Nulli vita fragilior , nulli rerum omnium libido major , nulli pavor confuſior , nulli rabies acrior. Denique cætera animantia in ſuo genere probè degunt : congregari videmus , & ſtare contra diſſimilia. Leonum feritas inter ſe non dimicat, Serpentium morſus non petit ſerpentes :ne maris quidem belluæ ac piſces niſi in diverſa genera ſæviunt. At herclè homini plurima ex homine mala .* Hoc ultimum Cicero ex Dicæarcho dixerat , lib. II. Offic. *Nulla tam deteſtabilis peſtis eſt, quæ non homini ab homine naſcatur.* Breviter Dionyſius ille Cato , & tamquam Ciceroni ac Plinio ſubſcriberet :

Cùm tibi proponas animalia cuncta timere,
Vnum hominem tibi præcipio plùs eſſe timendũ.

Vnum, inquam, hominem, quia rationis participem; cujus nullum, aut exiguum in brutis lumen eſt. Vnum hominem, quia arte inſtructum, quâ vinci vis omnis major poteſt. Virtute boni ſumus, vitio mali: ſed ad vitium faciliùs, quàm ad virtutem plerique rationem conſiliumque ſolent convertere; ingenioſiores, quoties nocent; audaciores, ut noceant. Ariſtotelem Aphoriſmo meo exprimam, lib. 1. Politic. cap. 11. *Erras, ſi nuditatem objicis homini: mente & ingenio armatus eſt, & ſic naſcitur: tantò brutis unus impurior immaniorq́ue, ſi in vitia inclinat, quantò malitia ratione inſtructa, validior.* Ergò ſi bonus, rectus, candidus eris, hoſtem aliquem invenies: infeſtum aliquem, ne impunè honeſtatem videaris ſequi: unum aliquem (an dicam non unum?) in quo omnes timeas: imò unum aliquem, & privatim, ut publicè noceat. Sed profectò nemo tam abjectus, qui non poſſit aliquid: nemo tam parvus, quin & animos & vires ad injuriam adferat. Timendus eſt, quicumque malus eſt: lædet, ſi ſtatuerit lædere. Non profectò fruſtra Publius Syrus:

Etjam

Digitized by Google

Etjam capillus unus habet umbram ſuam.

Apta Scytharum apud Curtium oratio eſt, lib. VI. *Leo quoque aliquando minimarum avium ſit pabulum, & ferrum rubigo conſumit: nihil tam firmum eſt, cui periculum non ſit etjam ab invalido.* Itaque monente eodem Publio,

Inimicum, quamvis humilem, docti eſt metuere;

Imò quamvis unum. Vnum, ut dixi, plures puta, ſi inimicus eſſe cœpit. Quod unus non poterit, per plures efficiet; ſuo conſilio, alieno auxilio, ut bis peccet. Plures enim ad malitiam trahet, quia unus erit: uni injurius, quia plures exprimet. Quid etjam? Sed ex eadem Scena:

Multis minatur, qui facit uni injuriam.

Etjam nocere unus omnibus poterit: ingratus miſeris, ſi accipere beneficium noverit, obliviſcatur reddere: ne ſic quidem ab injuria, aut noxa alienus. Adhuc Syrum audis:

Ingratus unus omnibus miſeris nocet.

De homine agò, & quia de uno ago, plures accuſo. Plures enim mali, quia plures ſunt; quemadmodum vitia pleraque ad multitudinem abeunt, & à pluribus uſurpantur. Vnum igitur hominem, & illum præcipuè primum, illum

Digitized by Google

parentem omnium, quomodò ſatis laudem? Vnus fuit; & unus tamen in ſe culpam unam admiſit, quâ in pœnam omnes miſer miſeros pertraxit.

CAPVT XIII.

Vna aliquando lingua. Unâ Apoſtoli uſi, quam omnes velut ſuam intelligebant.

AB uno deinde cùm plures eſſe propagatione cœpiſſent, una nihilominus omnium lingua erat, *unius omnes labii*, ut Sacræ Litteræ loquuntur, & tamquam gens una: in tot poſtmodum partes diviſa, quot paſſim idiomata conſtituta ſunt. Diceres alios fuiſſe homines, alio & alio ſermone uſos. Vni verò, hoc modo, ut ſic dicam, erant Apoſtoli, quando unâ omnes linguâ uti divinitus potuerunt, & à tot intelligi gentibus, in quot Orbis diviſus erat. Nimirum omnes linguæ una erat, & ſuam quiſque in una intelligebat, tamquam diverſâ: quam Galilæam, atque adeò Syram fuiſſe, eo tempore Iudæis uſurpatam, non tantùm veriſimile eſt. Verba Lucæ ſunt, in Actis: *Stupebant autem omnes & mirabantur, dicentes: Nónne ecce omnes*

mnes iſti qui loquuntur, Galilæi ſunt? & quomodo nos audivimus unuſquiſque linguam noſtram, in qua nati ſumus? Linguæ igitur diverſæ erant, ſi audientium rationem habeamus; una, ſi loquentium. Tamquam prima & naſcentis mundi rediiſſent tempora, *unius labii* miraculo ſalutis myſteria celebrata ſunt. Ita Cyprianus, maſculi prorſus animi & eloquii vir, libro de Spiritu Sancto: *Poſt Chriſti Aſſcenſionem in cælos, Spiritus Sanctus viſibiliter ſuper Apoſtolos in linguis igneis apparuit, & adinſtar prioris ſæculi univerſitatem fidelium unius labii eſſe voluit; ut quorum erat cor unum, & anima una, una eſſet & lingua; nec poſſet impedire intellectum credentium aliqua diverſitas verborum.* Clauſulam addo: *Quaſi primitiva linguæ libertas, ad antiquitatis reverſa originem, confuſionis contumeliam evaſiſſet.* Vna lingua ſic quidem neceſſaria erat: una, ut omnis eſſet, & omnis una.

Digitized by Google

CAPVT XIV.

Veritas una, Scientia una, Virtus una.

SEd homines omnes, quemadmodum aliquando, cùm novi eſſent, linguâ uni fuerunt: ita quoties boni, veritate & virtute uni ſunt, & perfecti poſſunt appellari. Sanè veritas una & ſimplex eſt; mendacium multiplex, quia à vero, tanquam ſagitta à ſcopo, abit. Hic unus eſt; illa quoties aberrat, alium & alium locum occupat. Aliter etjam qui loquitur, à vero, aliter qui jaculatur, à ſcopo abit: ille conſilio, & ſic mille mentiri modis poteſt, quia unum negligit; hic caſu, & ſic mille quoque locis errare poteſt, quia unum non attingit. Stoici tamen, ut Cicero in Paradoxis ſcribit, Vnum eſſe peccatum docebant, variis modis committi. Verba ſunt: *In quo peccatur, id poteſt aliud alio majus eſſe, aut minus: ipſum quidem illud peccare, quoquò te verteris, Vnum eſt.* Et lubet adjungere: *Peccare certè licet nemini: quod autem non licet, id hoc uno tenetur, ſi arguitur non licere. Id ei nec majus, nec minus unquam fieri poteſt (quoniam in eo eſt peccatum, ſi non licuit, quod ſemper unum & idem*

& idem eſt) quæ ex eo peccata naſcuntur, æqualia ſint oportet. Valeant Stoici: nobis ut Veritas una; ita & Scientia, & Virtus una eſt. Scientia quidem, quam Græci ἐγκυκλοπαιδείαν, id eſt *circulum diſciplinarum*, ſive *orbem eruditionis* appellant, in tot partes, imò artes diviſa eſt, quot conjungi aliquando potuiſſe, hodie miramur. Fontem cùm rivis compara: fons unus eſt, plures rivi. E fonte quia plures rivi manant, fluere ubique fontem dixeris; rivos eſſe, ubi ſcaturiunt. Huc adferre placet, quæ in Oratione de Officio Rhetoris Mediolani aliquando dixi, cùm Eloquentiam, tanquam Sapientiam, & ſcientiarum omnium artiumque orbem adoleſcens celebrarem: *Priſcis enim illis temporibus, quibus rerum cognitio nata eſt, hæc una ſcientia exiſtimabatur, ſcientias omnes poſſidere. Poſtquam verò paullatim homines à labore proclives, ad ignaviam & mollitiem irent; vel certè latiùs ipſæ terminos ſuos artes proferrent, nimiſque arduum videretur, in univerſo genere ſingulos excellere; ſecerni ſcientiæ cœperunt, & tanquam plures à ſacro ſapientiæ quaſi capite amnes, divortio quodam facto, fluerent, ſuis diſciplinæ ripis diſtinctæ ſunt; quæ in unum tandem eloquentiæ pelagus receptæ, denuo junge-*

Digitized by Google

rentur. Vt numerum tamen admittamus; inter omnes artes ſcientiaſque una præcipua eſt, quæ animum format, affectus domat, honeſtam, ſecuram, ac felicem vitam facit. Hæc una eſt: nam plures, vel ad lucrum, vel ad honorem, & interdum profanâ viâ ducunt, titulis & prærogativis magnificę, quia fortunæ phaleris veſtiuntur. Quis unum hoc agit, ut doctus; imò quis unum hoc, ut bonus ſit? ut famæ, non pecuniæ ſatagat, unius honeſtatis amans? Arcam implere, quàm pectus nonnulli malunt; habere multa, quam ſcire: ſcire autem, quæ ad verſutiam, impudentiam, loquacitatem faciunt, ad technas, ſtrophas, fraudes, inſidias, calumnias, impoſturas. Sic vivitur: rudis eſt, qui malus non eſt: malus eſt, qui neſcit bonos deſpectui habere. Quis igitur bonus? qui bonas artes colit: quæ bonæ? quæ ad unam veniunt, & veræ Sapientiæ incluſæ ſunt. Hanc potiſſimùm colendam eſſe Vir nomine & doctrinâ Magnus mihi in flore ætatis conſtituto aliquando ſcripſit: uni, ſed tanquam omnes moneret.

Non te vetamus omnium per artium
Campos vagari, quatenus mentem tuam
Ad clariora præparant, non occupant:

Una

Vna aucupanda ſit tibi ſcientia,
Vita magiſtra, veritatis regula,
Quæ fingit animos cultibus ſapientiæ.
Qui neſcit illam, perperam ſcit cæteras.

Proxima Sapientiæ Virtus eſt: & hæc una; ſed vim & uſum, ut Platonis dogma ſequar, varium obtinet, variiſque propterea nominibus diſtincta eſt. Vt enim drachma, ſive denarius unus, ſi nauclero detur, naulum vocari ſolet; ſi Publicano, vectigal; ſi inſtitori, pretium; ſi operario, merces: ita virtus, quando bona ac mala diſcernit, expetenda homini & fugienda, Prudentia eſt; quando jus ſuum cuique tribuit, Iuſtitia; quando cupiditati modum ponit, Temperantia; quando denique adverſa tolerat, Fortitudo. Prorſus una eſt virtus, unus virtutis genius: ſed in una omnes ſunt, & una in omnibus. Prudentia juſta eſt, temperans, fortis; Iuſtitia, temperans, fortis, prudens; Temperantia fortis, prudens, juſta; Fortitudo prudens, juſta, temperans. Diverſæ ſic quidem virtutis appellationes ſunt, quia operationes: ipſa una, quam qui poſſidet, omnes complexus eſt; remotus ab omnibus, ſi ab una abfuerit. Verbis Ciceronis agam, qui fatetur, lib. II. Officior. inter omnes Philoſophos conſtare,

eum, qui unam habeat, omnes habere virtutes. Lib. II. Tuſcul. Quæſt. *Si unam virtutem confeſſus es te non habere, nullam neceſſe eſt te habiturum.* Quare alii Prudentiâ boni ſunt, alii Iuſtitiâ, alii Temperantiâ, alii Fortitudine, omnes virtute, quæ Prudentiam, Iuſtitiam, Temperantiam, Fortitudinem continet. Omnes boni, quemadmodum felices: Vna enim virtus felices omnes facit, vel Comico teſte, in Amphitruone:

Virtus omnia in ſe habet: omnia adſunt bona,
quem penes eſt Virtus.

CAPVT XV.

Vna quoque Felicitas, quæ unâ mutari ſyllabâ poteſt. Omnium una, quæ publica. Ab Vno publicam optimè regi.

QVia una Virtus, una quoque Felicitas eſt: ſed unâ ſyllabâ omnes qui felices ſunt, eſſe infelices poſſunt, ut eſt apud Senecam, epiſt. CXXI. *Doce leve eſſe vanumque hoc, quod felicitas dicitur: unam illi ſyllabam facillimè accedere.* In una igitur ſyllaba imperium fortunæ conſiſtit; & unâ omnes ſe homines & ſua librant,

librant, felices, aut infelices. Omnium verò felicitas ut una ſit, communione quadam publicâ fiet. Hæc civitas eſt, ſive reſpublica, & plures homines in unum cœtum, velut corpus redactum, unis mœnibus, uniſque legibus continet. Ab uno meliùs quàm à pluribus plures regi, inter alios Ariſtoteles docuit. Plures autem iſti, cùm ab optimo ſtatu maximè abeunt, omnes ſunt. Optimo ſanè regere, unius eſt; regi, omnium: quemadmodum conſervari ac defendi omnes meliùs non poſſunt, quàm ab uno. Quomodo? ſi Virtus unius omnium virtutem ſuperat. De Principe, aut Rege agimus: Poëtæ autem Principis, & unius omnia ſcientis, monitum hîc nobis opportunum eſt:

---- Εἷς κοίρανος ἔστω,
Εἷς βασιλεύς:
---- *Herus unicus eſto,*
Unicus & Rex.

Regis quoque unius omnia appetentis ſcitum eſt: *Vnus mundus non capit duos Soles.* De Auguſto Tacitus, tanquam prudentiâ dictante, lib. 1. Annal. *Non aliud diſcordantis Patriæ remedium eſſe, quàm ab Vno regi.* Item: *Eam conditionem eſſe imperandi, ut non aliter ratio conſtet,*

Digitized by Google

quàm ſi Uni reddatur. Imò *Vnum eſſe Reipublicæ corpus, atque unius animo regendum.* Et lib. 1. Hiſtoriarum: *Omnem poteſtatem ad Vnum conferri, pacis intereſſe.* Serini Apomnemoneuma, ſuprà laudatum, pleniùs hîc repræſentandum eſt, tanquam ipſum adhuc Alexandrum audias. Cùm Lydis Crœſus imperare cœpiſſet, Fratrem in conſortium ſceptri aſſumpſit. Quidam igitur ut Regem moneret, accedens, *Omnium*, inquit, *in terra bonorum, auctor hominibus Sol eſt: nihil enim, Sole non lucente, ea ſuppeditaret. At ſi gemini forent, periculum immineret, ne omnia incendio abſumerentur. Ita Lydi: Regem unum accipiunt quidem, & auctorem bonorum credunt: duos verò ſimul non tolerant.* Sanè ubi plures, vel etjam pauci imperant, diverſo vel judicio, vel affectu feruntur, ac poteſtatem factione dividunt: ubi omnes, confuſio magis, quàm gubernatio eſt, & ἀναρχία appellatur. Vnus enim quiſque ut emineat, ſtudet unus eſſe, & turbat Rempublicam, quia ſe unum æſtimat: inter ſocios æmulus, inter omnes iniquus, quia ferre numerum non poteſt. Quid attinet ſermonem extendere? Mare vide: uno vento faciliùs navigatur; ſed quando

Unà

Vnà Euruſque Notuſque ruunt, creberque procellis
Africus, & vaſtos volvunt ad littora fluctus,
jactatur magis navis, quàm regitur, & naufragio proxima eſt. Ita eſt profectò: navis imaginem Reſpublica habet, in navi unus gubernator eſt: corporis imaginem habet, in corpore unum eſt caput: gregis imaginem habet, in grege unus eſt Dux, unuſque Paſtor: caſtrorum imaginem habet, in caſtris unus eſt Imperator, qui uno imperio armatam tot militum molem coërcet. *Diſcors enim exercitus*, monente Curtio, lib. III. *nec ad unum intentus imperium, vario tumultu cuncta turbat.* Quinetjam quidquid diviſum eſt, imbecillius redditur. Commodus Imperator, ſcribente Herodiano, lib. II. ut inſidias evitaret (extincto jam Perennio) non unum Prætorianis Præfectum, ſed duos conſtituit: tutius eſſe ratus, imperii poteſtatem non uni credere; verùm diſſectam velut in partes, quodammodo enervare. Vnus ecce tutus eſt, quia unum jam non timet. Securus Imperator, quia duos Præfectos habet, non auxilii compendio, ſed diſſidii ingenio. Minus hìc duo poſſunt, quia duo ſunt; quos quantum dignitas evehit,

evehit, diſtrahit paritas, & quâ poteſtate formidoloſi ſunt, æmulatione colliduntur. Huc facit quod dici ſolet, *Vna domus non alit duos canes.* Quippe qui inter ſe latrant ac mordent, minùs in alios rabiem effundunt. Eadem ſententiâ, *Vnus ſaltus non alit duos fures:* quod eſt apud Ariſtophanem in Veſpis. Item, *Unum arbuſtum non alit duos erithacos.* An adjungo? De induſtrio dici ſolet, *Vno in ſaltu, duos apros capit.* De eo qui in compendium laborem mittit, *Unâ fideliâ duos parietes dealbat.*

CAPVT XVI.

Vna Religio, & Vniverſalis: ſub uno Capite, divinitus conſtituto.

SAtis de Imperio, nec ſatis, niſi & Religio accedat: quâ unâ, ſed unâ, Imperium maximè conſervatur. Nimirum à Deo Imperia ſunt, & Deus unus eſt, ut unâ ab omnibus religione hominibus colatur. Vna Eccleſia Dei, Vna veritas, unus cultus, una pietas, & una pax ſit: opiniones, ſectæ, hallucinationes exulent. Cypriani quoque verba æſtimanda ſunt, epiſt. XL. *Deus unus eſt, & Chriſtus unus, & una*

Eccleſia

Eccleſia, & Cathedra una, ſuper Petrum Domini voce fundata. Item libro de Vnitate Eccleſiæ: *Vnam Eccleſiam etjam in Cantico canticorum Spiritus Sanctus deſignat: Vna eſt columba mea, perfecta mea, una eſt matri ſuæ, electa genitrici ſuæ.* Si unus non poteſt niſi unus eſſe, in Principe non poteſt niſi una eſſe Religio; ut plures homines tamquam unum, unâ religione regat. Populus quoque unus eſt, & quomodo regatur à Principe, ab uno, ſi religione diſſidebit? Diſſidebit autem, niſi quod omnes ſentiunt, unus profiteatur; niſi unus aut non unâ religione imbutus ſit, aut nullam velit æſtimare. Quod anima in homine, Religio in populo: illa una eſt, hanc tollis, niſi unam facias; tollis concordiam, ſalutem, ſecuritatem, ſi plures toleras. Ne aliena dicam, mea dicam, ſed pauca, è libello de Educatione Principis, Elemento XXII. *Leges Religione valent, pietate mores, maximeq́ feroces animi metu numinis emolliuntur. Tolle hoc vinculum, quæ concordia, quæ tranquillitas erit?* Piè & verè Lactantius: *Religio, & timor Dei ſolus eſt, qui cuſtodit hominum inter ſe ſocietatem.* Et Elemento XXIII. *Cuſtodit, inquam, Religio hominum inter ſe ſocietatem, ſi una, ſi*

vera, ſi vetus. Vna, quia in unum Deum, ſub uno Principe, in uno Regno; quia multitudo confuſionem, turbas, interitum gignit; denique ubi una non eſt, hoc paullatim agitur, ut nulla ſit. Etjam qui unam nolunt, plures tamen coguntur tanquam unam habere. Ita Symmachus, Relatione de ara Victoriæ: *Diis patriis, Diis indigetibus pacem rogamus. Æquum eſt, quidquid omnes colunt, Vnum putari. Eadem ſpectamus aſtra, commune cælum eſt, idem nos mundus involvit. Quid intereſt, quâ quiſque prudentiâ verum inquirat? Vno itinere non poteſt perveniri ad tam grande ſecretum.* Vna igitur Religio ſit, ſed Vniverſalis, quæ unum quoque Sacrorum in terris Principem, Pontificem, inquam, Optimum Maximum habet, dignitate, auctoritate, poteſtate: qui Dei vices in terris ſuſtinet, Pater & Paſtor omnium; tantò Regibus altior, quantò cælum terrâ ſublimius eſt; Sanctiſſimo imperio non corpora mortalium, ſed animos complexus, vitæ præmia, aut pœnas, etjam poſt mortem diſpenſans. Hic ille adhuc Petrus eſt, *ſuper quem unum ædificatam eſſe Eccleſiam,* ipſa Veritas pronunciavit. Adhuc Petrus; ſed alio, & alio nomine; nunc verò è BARBERINORVM familia,

tanto

tanto faſtigio divinitus deſtinatâ, VRBANVS OCTAVVS; unus ex omnibus electus, & ſuffragiis omnium, quia omnium imperio digniſſimus erat, & virtutes adferebat omnes. Pontifex, ut bis Summus eſſet, faſtigio, & ingenio; dignitate, & doctrinâ. O fructum unius uberem, pium, perpetuum! Illuſtrantur Sacra, expurgantur Hymni, eminent Purpuræ, vigent Cæremoniæ, & tota Eccleſiæ plenis reſplendet radiis majeſtas. Hoc eſt Petrum eſſe, Patrem eſſe, VRBANVM eſſe, unum eſſe: hoc eſt, ſacram in Eccleſia unitatem non ſtabilire tantùm, ſed inſignire. Servet Deus unus hunc unum, & omnes qui vivimus, unius regimine, felices temporis, & ubi vixerimus, heredes æternitatis faciat!

CAPVT XVII.

Vnius prærogativa exemplis explicata.
Epimenidis ſomnium.

SVmma hactenus dixi: ad minora veniendum eſt. Nam & in hominibus pleriſque, & in rebus unitatis ratio ſingularis eſt, tamquam ſponte ad encomium veniat, & à multitudine velit ſegregari. Quippe & homines ſinguli,

guli, & res ſingulæ, quæ raritatem, etjam unitatem ſibi vindicant; & quidquid laudatur in ſingulis, non poteſt niſi unum eſſe: unum autem in uno laudatiſſimum eſt. Vnus Homerus carminis ſplendore appellari Poëta per antonomaſiam meruit: *in quo*, ut cùm Velleio dicam lib. 1. *hoc maximum eſt, quod neque ante illum, quem ille imitaretur, neque poſt illum, qui eum imitari poſſet, inventus eſt.* Cæcum fuiſſe quis non miretur, & ſciviſſe omnia? Animo & mente vidit. *In Oratoribus verò, Græcis quidem*, ut Ciceronis verbis utar, in Oratore, *admirabile eſt, quantùm inter omnes Vnus excellat Demoſthenes.* Vnus, quo die genitus eſt, riſit Zoroaſter. Vnus Tages in agro Tarquinienſi divinitus exaratus, etjam Ovidii teſtimonio,

---- Primus Hetruſcam
Edocuit gentem caſus aperire futuros.

Vnus Socrates, Apollinis Pythii oraculo ſapientiſſimus mortalium pronunciatus, uno & eodem ſemper vultu fuit: Vnum à Diis Immortalibus petendum arbitratus, *ut Bona animi tribuerent.* Admirandam Solis naturam, ſive contemplans, ſive venerans, hominis patientiam ſingulari exemplo exceſſit. Raptus jubare, imò miraculo

miraculo defixus, *ſtare ſolitus dicitur* (A. Gellii verba ſunt, Lib. 11. cap. 1.) *pertinaci*, id eſt maximè uno, *ſtatu perdius atque pernox, à ſummo lucis ortu ad ſolem alterum orientem, inconnivens, immobilis, iiſdem in veſtigiis, & ore atque oculis unum eundemque in locum directis, cogitabundus, tanquam quodam ſeceſſu mentis, atque animi facto à corpore*. Vnus Cyrus omnibus in exercitu ſuo militibus nomina reddidit. Vnus Mithridates duarum & viginti gentiū Rex, totidem linguis jura dixit, pro concione ſingulas ſine interprete affatus. Vnus Plato, annum unum & octogeſimum implens, die ipſo natali ſcribens deceſſit. *Ideo Magi*, notante Senecâ, ep. LVIII. *qui fortè Athenis erant, immolaverunt defuncto, amplioris fuiſſe ſortis quàm humanæ rati, quia conſummaſſet perfectiſſimum numerum, quem novem novies multiplicata componunt*. Vnus Epimenides, æſtu & itinere feſſus, in ſpecu ſeptem & quinquaginta annis dormivit, *rerum faciem mutationemque mirans*, ut Plinii verba uſurpem, lib. VII. cap. LII. *velut poſtero experrectus die. Hinc pari numero dierum ſenio ingruente; ut tamen in ſeptimum & quinquageſimum vita duraret annum*. Tantum æta-

tis uno ſepeliri ſomno, aut veriùs morte potuiſſe, mirum ſit, niſi ad myſterium veniamus. Fuêre olim, ſcribente Laërtio, qui *non dormiſſe, ſed aliquamdiu erraſſe eum dicerent, radicibus evellendis occupatum.* Si conjecturæ locus, Somnus contemplatio fuit: anni quinquaginta ſeptem, tres lunæ Enneadecaëterides, quibus totidem ſideris ἀποκαταστάσεις continentur. Has, dum dormire dictus eſt, obſervavit Epimenides: tres, inquam, continuas, & pleno labore perfectas; ut de una ſine errore pronunciaret: remotus ab hominibus, ut apud ſe eſſet; in monte & ſpecu, ut ſine impedimento cælum & aſtra obſervaret. Sic & Eudoxus, ſcribente Petronio, *in cacumine excelſiſſimi montis conſenuit, ut aſtrorum cælique motus deprehenderet.* Sed nihil facilius, quàm ad ſomnum laſſos venire, laborem ſilentio abſcondere. Endymionem ſimilis fabula ad cælum duxit, hinc rurſus ſomno damnatum terrę reddidit: qui amare tamen Lunam dictus eſt, & à Luna amari. Nimirum, quæ in proximo terræ ſidere mira ſunt, modò curuari in cornua, modò æquâ portione dividi, modò gibbo turgeſcere, modò pleno orbe lucere, in humili & excelſo eſſe, nunc in Aquilonem efferri, nunc in Auſtrum dejici;

hæc

hæc ſingula, ut Plinij verbis dicam, *deprehendit, in ea hominum primus Endymion: & ob id amore eius captus famâ traditur.*

CAPVT XVIII.

Horatii Coclitis virtus ſingularis & eminens.

AD plures venio, ut magis Vnum celebrem. Vnus apud Romanos Horatius Cocles, poſtquam hoſtes vndique inſtantes ſuſtinuiſſet, reciſo ponte, ne Tiberim quidem armatus exhorruit. Cùm Livio dicam, Lib. II. *Pons ſublicius iter penè hoſtibus dedit, ni unus vir fuiſſet Horatius Cocles. Ergò ſtatua in Comitio poſita: agri quantum uno die circumaravit, datum.* Valerij epiphonema huc facit, Lib. III. cap. II. *Unus itaque tot civium, tot hoſtium in ſe oculos convertit, ſtupentes illos admiratione, hos inter lætitiam & metum hæſitantes. Unuſque duos acerrimâ pugnâ conſertos exercitus, alterum repellendo, alterum propugnando diſtraxit. Denique Unus Urbi noſtræ tantum ſcuto ſuo, quantum Tiberis alueo munimenti attulit. Quapropter diſcedentes Etruſci, dicere potuerant: Romanos vicimus,*

CAPVT XIX.

Plura in unum collecta Vnius paradigmata. Unius viri una mulier: unius mulieris unus vir.

AN proſequor? Vnus Antipater Sidonius Poëta, omnibus annis, uno tantùm die natali corripiebatur febri, atque certo illo circuitu morbi, in decrepita jam ætate, conſumptus eſt. Vnum Pindari os Thebas illuminavit.

Unus Pellæo juveni non ſufficit Orbis.

Ille tamen nonniſi ab uno Apelle pingi, ab uno Pyrgotele ſculpi, ab uno Lyſippo ex ære duci voluit. Vnus Cato primus Porciæ gentis optimus Orator, optimus Imperator, optimus Senator. Vni Metello populus Romanus tribuit, quod nulli alij à condito ævo; ut quoties in Senatum iret, curru veheretur ad curiam: magnum & ſublime, ſed pro oculis datum, quos incendio, cùm Palladium raperet ex æde Veſtæ, amiſerat, memorabili cauſsâ, ſed caſu miſero: pius enim, & infelix fuit.

Vna dies Fabios ad bellum miſerat omnes,
Ad bellum miſſos abſtulit una dies.

Vnum Romæ luſtrum fuit, quo nullus omnino Senator moreretur, ab anno Vrbis IↃ. LXXIX. ad proximos Cenſores. Vni Cæſari ſcribere & legere ſimul, dictare & audire datum eſt. Vni Ciceroni Eloquentiam Romanam ad miraculum ducere. Viros hactenus recenſeo: Feminæ quo loco erunt? ſingulari quoque, ſi è multis paucæ eligantur. Sed de his cum ſingulares libri ſcripti ſint, quorſum plura? Vna uni viro naturâ & lege deſtinata eſt: negotium enim faceſſerent, ſi plures eſſent. Et fortaſſis non unam invenias, quæ uno non contenta, plures malit: an ut in plures quoque imperium habeat? Non fruſtra Plautus Curculione: *Mulieres duas pejores eſſe quàm unam.* Papirius puer, cui uni conceſſum fuit, cum patre in curiam venire, & cui uni Prætextati poſteà nomen inditum, lepido mendacio curioſitatem matris in hac re luſit: Actum in Senatu eſſe, *An duas unus vir uxores deinceps ducturus eſſet: an una duobus potiùs nuberet.* Sed totam lubet hiſtoriam Macrobii verbis, lib. I. Saturnal. cap. IV. enarrare: *Mos anteà Senatoribus fuit, in curiam cum prætextatis filiis introire. Cùm in Senatu res major quæpiam conſultabatur, eaque in poſterum diem prolata eſſet; placuit, ut hanc*

ut hanc rem, ſuper qua tractaviſſent, nequis enunciaret, priuſquam decreta eſſet. Mater Papirii pueri, qui cum parente ſuo in curia fuerat, percunctatur filium, quidnam in Senatu egiſſent Patres: puer reſpondit, tacendum eſſe, neque id dici licere. Mulier fit audiendi cupidior: ſecretum rei, & ſilentium pueri animum ejus ad inquirendum everberant. Quærit igitur compreſſius violentiuſque. Tum puer, urgente matre, lepidi atque feſtivi mendacii conſilium capit. Actum in Senatu dixit, Utrum videretur utilius, magiſque è republica eſſe, Vnuſne ut duas uxores haberet; an ut una apud duos nupta eſſet. Hoc illa ubi audivit, animo compaveſcit; domo trepidans egreditur, ad cæteras matronas affert: poſtridieque ad Senatum copioſa matrum familias caterva confluunt: lacrymantes atque obſecrantes orant, Vna potiùs ut duobus nupta fieret; quam ut uni duæ. Senatores ingredientes curiam, quæ illa mulierum intemperies, & quid ſibi poſtulatio iſthæc vellet, mirabantur; & ut non parvæ rei prodigium illam verecundi ſexûs impudicam inſaniam paveſcebant. Puer Papirius publicum metum demit. Nam in medium curiæ progreſſus, quid ipſi mater audire inſtitiſſet, quid matri ipſe ſimulaſſet,

 ſicut

Digitized by Google

ſicut fuerat, enarrat. Senatus fidem atque ingenium pueri exoſculatur, Conſultumq; facit, Vt poſthac pueri cum patribus in curiam non introeant, præter illum Vnum Papirium: eique puero poſtea cognomentum honoris gratiâ decreto, inditum Prætextatus, ob tacendi loquendique in prætexta ætate prudentiam. Satis iſta ſic quidem copioſè.

CAPVT XX.

In feminis quoque, & familiis raritas ſingularis.

RArum eſt, quod Plinius refert, lib. VII. cap. XLI. *Vna feminarum in omni ævo lampido Lacedæmonia reperitur, quæ Regis filia, Regis uxor, Regis mater fuit. Vna Pherenice, quæ filia, ſoror, mater Olympionicarum.* Rarum quoque, quod de familiis addit: *Vna familia Curionum, in quâ tres continuâ ſerie Oratores exſtiterunt. Vna Fabiorum, in qua tres continui Principes Senatus, M. Fabius Ambuſtus, Fabius Rullianus filius, Q. Fabius Gurges Nepos.*

CAPVT

CAPVT XXI.

Hominis conſideratio. Membra omnia ad unitatem reducta.

QVid attinet omnia dicere? & hæc tamen ferè omnia unus Naturalis Hiſtoriæ Scriptor attingit. Sed in uno homine, admirando providentiæ opificio, dignitas Vnius, & ſimul neceſſitas relucet. Videas maſſam ipſam corporis & molem, non quidem in globum coactam, ſed productiore formâ erectam, ut inflexio & inceſſus ſequeretur. Spina, tanquam carina, majoribus, ſed brevibus oſſibus, & invicem hærentibus, compacta eſt: è cujus medio coſtæ quaſi porrectæ, & clementer curvatæ, viſcera, quia mollia, & lædi facilia, quodam quaſi circulo muniunt. Pars ſumma, & à quo regimen eſt, caput appellatur; quod hinc initium ſenſus ac nervi, ut Varroni placuit, capiunt. Caput, inquam, ſed unum ſingulis; niſi monſtra aſpectu horrenda, vel prodigia in myſterium ficta toleremus. Cur enim Biceps olim Ianus? Vt faciliùs numen crederetur, ſi à forma hominis abiret longiùs, & jam homo non eſſet: ſcires

quoque, ne cerberum quidem canem eſſe, quia monſtro limen Ditis indigebat. Imò cur Biceps Ianus? ut mundi cuſtodiam, & cæli converſionem, tanquam Orientis & Occidentis rector, ut eſt apud Macrobium, unus ſibi vindicaret. Sic illum, Faſtos Scribens, Ovidius inducit:

Me penes eſt unum vaſti cuſtodia mundi,
Et jus vertendi cardinis omne meum eſt.

Si qui fortè homines ſunt, qui uno non ſatis capite ſapiunt; duo ſibi habeant, & vel Janum ipſum, præteritorum & futurorum conſcium, geminâ fronte; imò quadrigeminâ, exprimant: imò tria habeant, & ut latrare atque calumniari in umbris ſuis poſſint, monſtra ſint, & pro cerberis habeantur. Neſcio equidem an fortaſſis pulchrius ſit, ſine capite eſſe, quàm plura habere. Ad emblema tranſeo, quod in vitrea feneſtra Arx Palladis exhibet. Armatum videas hominem unum, alterum togatum, ἀκέφαλον utrumque: videas pro capite, quod in medio alter comâ, alter barbâ arreptum tenet, gladiis, ſed alterum cæſim, alterum punctim deprœliantes. Non invenuſtum ſchema, quia pictum: quo, quanti ſit caput in regimine quocumque; nullum autem ſine capite regimen eſſe, velut per

luſum

luſum & amœnitatem docemur. Sanè ut ſe quiſque regat, & ſui dominus ſit, capite, mente, ac ratione indiget: ita enim liber, lætus, felix erit, id eſt unus, & verus tandem homo. In capite porrò partes præcipuæ, ſingulæ ſunt; aliæ geminæ. Vna enim facies, una frons, unum os, una lingua: Oculi, Aures, nares, geminæ; ſed uno munere, ab uno principio, centro, fonte; quemadmodum diſtinctè Anatomicorum filii docēt. Oculos conſidero: quorum alteruter, tanquam uterque eſt, & uterque velut unus; ut defectum unius, ſive vulnere effoſſi, ſive morbo vitiati, ſive fuffuſione impediti ſuppleat. Vis una duorum eſt, una actio, unuſque motus. Duorum, tanquam unius. Non enim fert natura, ut immoto uno alter moveatur; ut unus ſurſum, alter deorſum. Ergò unus eſt oculus, ſed duo fiunt, ſi in diverſos torquere hirquos incipias: quâ ſeparatione fallitur viſus, & res una gemina apparet.

Fallunt nos oculi, vagique ſenſus,
Oppreſſâ ratione, mentiuntur.

Experimentum vel ab ipſo digito eſt, qui alteri luminum admotus, ac deinde exiguo ſpatio motus, geminus adumbratur. Vt duo igitur oculi, unus viſus: ita duo nervi optici, unus, ut ſic dicam,

cam,

Digitized by Google

cam, nervorum nodus, quo duo unus videntur fieri, ſolâ medullæ, ut quibuſdam placet, confuſione. Hac coïtione opus, ut rerum ſpecies ſingulæ in duos receptæ oculos ſingulæ ſint, & verâ imagine unitatem retineant. Aures quoque, licet geminæ, & voces altrinſecus venientes hauriant; per meatus tamen ſuos, per membranas, per cochleas, ad nervum ἀκουστικὸν, ac tandem ad communem ſenſum, tanquam judicem unum ac cenſorem, tranſmittunt. Nares denique uno vocabulo naſum audeo appellare. *In hoc autem, quamvis ſimplici membro* (verba Lactantii ſunt, lib. de Opificio Dei, cap. x.) *tria ſunt officia conſtituta: unum ducendi ſpiritûs, alterum capiendi odoris, tertium, ut per ejus cavernas purgamenta cerebri defluant: quas ipſe Deus tam mirabili, quam divinâ ratione molitus eſt; ut tamen hiatus ipſe naſi oris ſpeciem non deformaret. Quod erat planè futurum, ſi unum ac ſimplex foramen pateret. At id, velut pariete per medium ducto interſepſit, fecitque ipſâ duplicitate pulcherrimum.* Ad oculos redeo, qui præcipui ſunt: A. Gellius tamen, lib. ix. cap. iv. ſcribit, *eſſe homines ſub Septentrionibus, unum oculum habentes in frontis medio, qui vocantur Arimaſpi: quâ*

facie

facie Cyclopes Poëtæ ferunt. non profectò quia immanes, feroces, exleges; ſed magis quia prudentiâ inter Mythici temporis homines aliquando eminuerunt: quemadmodum de Polyphemo Servius ſcripſit, III. Æneid. *Multi Polyphemum dicunt unum habuiſſe oculum, alii duos, alii tres: ſed totum fabuloſum eſt. Nam hic vir prudentiſſimus fuit, & ob hoc oculum in capite habuiſſe dicitur, id eſt juxta cerebrum; quia prudentiâ plus videbat. Verùm Vlyſſes eum prudentiâ ſuperavit, & ob hoc eum cæcaſſe fingitur.* Sic in reliquo corpore, unum pectus, unum cor, unum jecur, unus pulmo, unus ſplen: manus verò & pedes gemini, quorum unum idemque officium eſt. Sed manus compara: dextera potior eſt, & regere ſiniſtram videtur. Inter digitos quoque unus pollex pollet, & ἀντίχειρ Græcè, quaſi *altera manus* appellatur. Veteres quoque quod facile factu erat, *Vno digitulo* ſe dicebant facere; ut & hodie vernaculâ linguâ noſtrâ uſurpamus. Ita Satyrici verbis, adhuc delicati ſunt, *qui digito ſcalpunt uno caput.* Quid pedes? Dicam quod idem A. Gellius dicit: *eſſe alia apud ultimas Orientis terras miracula, homines (Monocoli appellantur) ſingulis cruribus ſaltuatim*

 currentes,

currentes, vivaciſsimæ pernicitatis. Quid excuſo? Pulchrè & plenè idem Lactantius : *Cùm ſit corpus unum; tamen totum ex ſimplicibus membris conſtare non poterat, niſi ut eſſent partes vel dexteræ, vel ſiniſtræ. Itaque pedes duo, & item manus, non tantùm ad utilitatem aliquam, uſumque vel gradiendi, vel faciendi valent; ſed & habitum decoremque admirabilem conferunt. Sic in capite, quod totius divini operis quaſi culmen eſt, & auditus in duas aures, & viſus in duas acies, & odoratio in duas nares à Summo Artifice diviſa eſt; quia cerebrum, in quo ſentiendi ratio eſt, quamvis ſit unum, tamen in duas partes, membranâ interveniente, diſcretum eſt. Sed cor, quod ſapientiæ domicilium videtur, licet ſit unum, duos tamen intrinſecus ſinus habet, quibus fontes vivi ſanguinis continentur, ſepto intercedente, diviſi: at ſicut in ipſo mundo ſumma rerum vel de ſimplici duplex, vel de duplici ſimplex & gubernat, & continet totum; ita in corpore de duobus univerſa compacta indiſſociabilem prætendebant unitatem.* Idem ad rem noſtram breviter, & tanquam claudat, cap. XIV. *Certum & indubitatum eſſe debet, tot res, tot viſcerum genera, unum & idem habere officium; ut animam continant*

contineant in corpore. Sed quid proprii muneris ſingulis ſit injunctum, quis ſcire, niſi Artifex poteſt, cui ſoli opus ſuum notum eſt?

CAPVT XXII.

Plures homines, unus.

IN homine ſic quidem unoquoque quidquid eſt, unum eſt: ſed plures homines unum fieri, quidni adjungo? Fiunt Civitate, Familiâ, Amicitiâ, Fœdere, Nuptijs, aliiſque modis. Quid enim Civitas? multitudo & ſocietas, confuſio & ordo, unum multorum corpus hominum, eodem jure viventium, ut bene ac beatè vivant. Quid Familia? Civitatis pars, & parva quædam civitas, uno lare, uno foco, uno contubernio conſtituta; in qua pater, mater, liberi, unum ſunt, quia unius fortunæ, famæ, nominis vitam agunt. Quid Amicitia? animorum vinculum, ſtudiorum conſortium, numerus & monas, duo vel plures in uno, unus in duobus vel pluribus, qui uno læti vultu proſpera, uno triſtes adverſa ferunt, & quorum omnia communia ſunt. Quid Fœdus? Publicum pactum, fide & jurejurando initum, quo duo aut plures populi, ſtudiis, con-

Digitized by Google

ſiliis, viribus unus eſt, & quemcumque hoſtem communem habet. Quid Nuptiæ? Maris & mulieris copula, naturâ & lege ordinata, duo, tanquam unus; ſed ut plures generentur. Duos etjam unum putes, ſi eadem & affirment & negent: ut non fruſtra Cælius ille apud Senecam, Amico ſed aſſentienti: *Dic aliquid contrà, ut duo ſimus.*

CAPVT XXIII.

Ætates ſingulæ ſingulari laude. Vnus aliquis ex intervallo vir ſingularis. Vnus Phœnix. Vir bonus, tanquam Phœnix.

AD ætates venio, quæ ſuam unaquæque gloriam peculiari periodo adferunt, atque unitate diſtinctæ ſunt: à Velleio repræſentatæ, lib. 1. *Quis enim abundè mirari poteſt, quòd eminentiſſima cujuſque profeſſionis ingenia in eandem formam, & in idem arctati temporis congruant ſpatium? & quemadmodum clausâ capsâ, alióve ſepto diverſi generis animalia, nihilominus ſeparata alienis, in Vnum quoque corpus congregantur: ita cujuſque clari operis capacia ingenia in ſimilitudinem & temporum & profectuum.*

fectuum ſemetipſa ab aliis ſeparaverunt? Una, neque multorum annorum ſpatio diviſa ætas, per divini ſpiritûs viros, Æſchylum, Sophoclem, Euripidem, illuſtravit tragœdias: Vna priſcam illam & veterem ſub Cratino, Ariſtophane, & Eupolide comœdiam; ac novam Menandrus, æqualeſque ejus ætatis magis quàm operis Philemon ac Diphilus, & invenêre intra pauciſſimos annos, neque imitandam reliquêre. Inter ipſa quoque ingenia diſcrimen animadvertas. Nam quemadmodum

Vna eſt quæ reparat, ſeque ipſa reſeminat ales,
Aſſyrii Phœnica vocant:

ita per intervalla temporum unus aliquis vir, in ſuo genere & ordine, Phœnix eſt, & haberi ſolet, eximius, ſingularis, unus. Vnus ſanè in toto Orbe Phœnix, nec viſus magnoperè: quem Manilius Senator prodidit, referente Plinio, lib. x. cap. 11. *Sacrum in Arabia Soli eſſe, vivere annis* IↃC. LX. (Quid ſi ∞. CCCC. LX. qui Magnus Ægyptiorum annus eſt, ille inquam Heliacus, Canicularis, Dei.) *Seneſcentem caſia thuriſque ſurculis conſtruere nidum, replere odoribus, & ſupermori. Ex oſſibus deinde, & medullis ejus naſci primò ceu vermiculum: inde fieri pullum, princi-*

pioque justa funeri priori reddere, & totum deferre nidum prope Panchaiam, in Solis urbem, & in ara ibi deponere. Cum hujus alitis vita Magni converſionem Anni fieri(Anni, inquam, Magni Ægyptiaci) *iterumq; ſignificationes tempeſtatum & ſiderum eodem reverti.* Quid de viro ſuo Bono Seneca ? epiſt. XLII. *Tanquam Phœnix ſemel anno quingenteſimo* (imò incerto, niſi Ægyptium accipiamus) *naſcitur. Nec eſt mirum, ex intervallo magna generari: mediocria, & in turbam naſcentia ſæpè fortuna producit; eximia verò ipsâ raritate commendat.* Sed vir bonus & doctus immortalis eſt: toties ex ſe renaſcitur, quoties divina ingenii opera ſive calamis, ſive typis inſtaurantur.

CAPVT XXIV.

Vnum Alphabetum, omnis doctrina.

HI ipſi, calami, inquam, & typi, ſemper & ubique occupati, quamvis inexhauſtos mentis theſauros repræſentent; nihil tamen niſi Alphabetum unum exprimunt. Si miraculum quæris, & litteræ habent; quibus licet inveſtes pueri, & uno adhuc aſſe Minervam colentes

lentes detineantur; univerſum tamen genus humanum, ſive pacis, ſive belli tempore, regitur, & quodammodo vivit. Tot librorum volumina, tot ingeniorum præclara monumenta, nihil præter unam tabellam, unam pagellam habent. Viginti tres apud Latinos, quatuor apud Græcos Litterarum notæ, quidquid ſcribi aut legi hactenus potuit, vel deinceps poterit, includunt. Hæ illæ nigellæ Cadmi filiæ ſunt, tam benignæ & familiares, ut ubique fertiles & faciles, nullâ ætate ad ſenium, nullâ fœtura ad ſterilitatem perducantur. Diſſere, diſputa, philoſophare, quantùm voles, & quamdiu voles; totum hoc niſi Alphabetum erit. Nemo plura unquam ſcribendo complexus eſt; nemo hoc quod unum eſt, totum adhuc expreſſit.

CAPVT XXV.

Vnitas in proverbiis æſtimata: in Vnitate arcanum.

SAnè ab Vnitate res omnes perfectionem ſuam ac laudem accipiunt: etjam cùm non accipiunt. *Una hirundo*, ut eſt in proverbio, *non facit ver*; ſed una avis, quæ omnis eſt hirundo,

rundo, facit. *Vni cum duobus pugnandum non eſt*; ſed duos, & plures ſæpe unus pugnando ſuperat. *Voto non vivitur uno*; imo uno, quod in unum & ſummum bonum dirigendum eſt. *Duæ rerum omnium anſæ ſunt*, dictante Epicteto; ſed una plerumque apprehendi ſolet, & ſæpius ſiniſtra. *Vnus non facit Civitatem*; ſed Civitatem regit unus, quod majus eſt. Vnum eſt, quod poteſt unus; *ſervare arcanum*; ſed quod duo, vel plures nequeunt, quia difficillimum. An clariùs? Non poteſt ſilentii fides, niſi in uno tutam ſedem invenire. Etenim quod unus ſcit, nullus ſcit; quod duo, omnes. Sit amicus, ſit frater, ſit filius; alter erit: etjam in altero periclitari arcanum incipiet. Antigonus filio ſciſcitanti, quando caſtra moturi eſſent, *Quid*, inquit, *an metuis, ne unus tubam non audias?* Regni heres futurus, non poterat tamen ſecreti paterni conſors fieri. Docuit pater filium, unus omnes, quomodo ſecretum non periret: docuit, patrem & filium, quamvis conjunctiſſimos, duos eſſe; ſed non poſſe, niſi in uno tutum taciturnitatis pignus conſervari. An ſilere alterum voles, quod ipſe non potuiſti? Pacto ſilentium exigis, exemplo diſſolvis. Amici credidiſti auribus, quod

unus

unus debebas ſcire. Amicus ille alium amicum habet, & ille alium: quod arcanum erat, fit publicum; & omnes ſcient, quod ab uno unus hauſit, quia unus non erat. Monas, ut eſt apud Plutarchum, libro de Garrulitate, quia ἐν μένει, id eſt, ***unum manet***, Monas eſt: terminum enim ſuum non egreditur. Quid Dias, ſive binarius? principium infinitum diverſitatis eſt, ac diplaſiaſmo à natura ſua ad multitudinem vergit. Rectè iſta de ſermone, qui quamdiu in primo & uno manet, arcanus eſt; ſi ad alterum efferatur, jam famæ locum obtinet.

CAPVT XXVI.

Vnitas laboris & quietis, pugnæ & victoriæ. Vir unus inſtar multorum.

SEd vita omnis noſtra labore & quiete diſtinguitur: à labore ad quietem, à quiete ad laborem omnes veniunt. Sit

Omnibus una quies operũ, labor omnibus unus,

feliciter venient; optatam quietem, ſuavem laborem unitate facturi. Maximus labor pugna eſt: ſed qui pugnant, à nulla ſalute ad unam transferuntur, ſi pulchrum putent mori.

Vna ſalus victis, nullam ſperare ſalutem.

Ipſa quoque in unitate victoria eſt, cùm plures in unum aciei corpus collecti pugnant, & unum fiunt: quemadmodum dici ſolet, *Vis unita fortior*. Omnes enim qui ſub ordinibus ſuis armati, hoſtem ſive petunt, ſive repellunt, una ferunt arma, & faciunt, unas vires exſerunt, & tanquam ſimul agant omnia, uno ſtant corpore, uno gradiuntur, uno dimicant. Contrà, qui unus multorum ſumet animos, multis par fiet: in uno enim, ut ſic dicam, multi erunt. Sanè vir unus præſtans, inſtar multorum eſt: plures enim ignavi aut imbelles ſunt: imò plures homines ſunt, unus ad divinioris naturæ præſtantiam & prærogativam accedit. Ignavorum igitur & imbellium eſt, *Vnus vir, nullus vir*: ſtrenuorum & fortium, *Vnus vir, omnis vir*. Quippe Tantum in uno, & virtute unius ſæpenumero poſitum eſt; ut omnium hinc & fama, & fortuna, & ſpes, & vota dependeant. Id de Archimede Polybius refert, lib. VIII. Vnus enim ille in obſidione Syracuſarum plus impedire Romanos potuit, quàm cæteri omnes, quotquot urbis defenſores aderant. Vnus, verè fortis; quia arte pugnabat & ingenio: quod amplius erat, quàm

armatum

armatum eſſe, vi & impetu hoſtium impreſſionem ſuſtinere. Romani igitur unum veriti Archimedem, imbecilliores vires ſuas confeſſi ſunt; & quia irritus omnis conatus fuerat, premere obſeſſos, quàm oppugnare maluerunt, fame quàm armis agere; ut ſi omnes contabeſcerent, unus quoque vinceretur. Vnum omnem eſſe, etjam Braſidas oſtendit: ut eſt apud Thucydidem, lib. v. Hoc pugnante, felices adverſus Athenienſes Spartani erant; mortuo, pacis conditiones, tanquam victoriæ impares admiſerunt. Vnius Epaminondæ virtute ex humilibus incrementis ad ſpem ſummi imperii Thebæ ſurrexerant: unius morte ad priſtinam fortunam relapſæ. Pulchrè id Iuſtinus narrat, lib. vi. *cum eo uno viro vires quoque Reipub. cecidiſſe. Nam ſicuti telo ſi primam aciem perfregeris, reliquo ferro vim nocendi ſuſtuleris: ſic illo, velut mucrone teli ablato duce Thebanorum, Rei quoque publicæ vires hebetatæ ſunt; ut non tam illum amiſiſſe, quàm cùm illo interiiſſe omnes viderentur. Nam neque hunc ante ducem ullum memorabile bellum geſſère, nec poſtea virtutibus, ſed cladibus inſignes fuère: ut manifeſtum ſit, patriæ gloriam & natam, & extinctam cum eo fuiſſe.* Claudam Æmilii Probi

verbis: *Thebas & ante Epaminondam natum, & poſt eiuſdem interitum, perpetuò alieno paruiſſe imperio. Contrà, eas quamdiu ille præfuerit Reip. caput fuiſſe totius Græciæ. Ex quo intelligi poteſt, unum hominem pluris, quàm Ciuitatem fuiſſe.* Laudandus hìc quoque Alcibiades, ſed Iuſtini verbis, lib. v. *Enimverò tantum in uno hoc viro fuiſſe momenti Athenæ agnouère, ut maximi imperii ſubverſi, & rurſum recepti auctor eſſet: & unde ſtetiſſet, eò ſe victoria transferret; fieretque cùm eo mira quædam fortunæ inclinatio.* Ad Philopœmenem tranſeo, fortiſſimũ Achæorum ducem, in quo uno omnem belli fortunam hoſtes æſtimârunt. Meſſenii erant, fortes neſcio, an timidi; capto Philopœmene, quem unum timuerant; occiſo, quem ceperant. Hiſtoriam pleniùs ex Iuſtino repræſento, lib. XXXII. *Inter Meſſenios & Achæos de principatu primò diſſenſio, mox bellum ortum eſt. In eo nobilis Achæorum Philopœmenes Imperator capitur, non quia pugnando vitæ pepercerat; ſed dum ſuos in prælium revocat, in tranſitu foſſæ equo præcipitatus, à multitudine hoſtium oppreſſus eſt. Quem iacentem Meſſenii, ſeu metu virtutis, vel verecundiâ dignitatis, interficere auſi non fuerunt. Itaque velut*

in illo

in illo (uno) omne bellum confeciſſent, captivum per univerſam civitatem, in modum triumphi circumduxerunt, effuſo obviàm populo, ac ſi ſuus, non hoſtium imperator adventaret : nec victorem Achæi avidiùs vidiſſent, quàm victum hoſtes viderunt. Igitur eundem in theatrum duci iuſſerunt, ut omnes contuerentur, quē capi incredibile ſingulis videbatur. Inde in carcerem ducto, verecundiâ magnitudinis ejus, venenum dederunt : quod ille lætus, ac ſi viciſſet, accepit; quæſito priùs, an Ligortas præfectus Achæorum, quem ſecundum à ſe eſſe ſcientiâ rei militaris ſciebat, incolumis effugiſſet. Quem ut accepit evaſiſſe, nō in totum dicens malè conſultum Achæis, exſpiravit. Nimirum, quantum in uno poſitum eſſet, jam didicerat. Ab uno enim Ligorta, quia ab uno, erigi collapſa Achæorū fortuna potuit: ac novo victi bello Meſſenii, pœnas interfecti Philopœmenis pependerūt. De Iulio Cęſare eleganter Valerius Maximus, lib. III. cap. II. *Legionis Martiæ aquiliferum, ineundæ fugæ gratiâ iam converſum, faucibus comprehenſum, in contrariam partem detraxit, dexterámque ad hoſtem tendens, Quorſum tu, inquit, abis? illìc ſunt cum quibus dimicamus. Et manibus quidem Unum militem, adhortatione verò tam acri*

omnium legionum trepidationem correxit, vinciq́ paratas, vincere docuit. An fruſtra igitur Liviana illa paſſim formula, *Romanus prœlio victor?* Hic totus exercitus unus vir. Sic & Cicero contrario loquendi modo, cùm unus eſſet, vim pluralitatis ſibi aſſcribit, ad Brutum: *Populo impoſuimus, & Oratores viſi ſumus:* quæ Synecdoche eſt. Poëta quoque:

Sed nos immenſum ſpatiis confecimus æquor.

CAPVT XXVII.

Vnus, qui bonus. Vnum hominem agere. Vnus dies multis longior.

VT hæc ſunt, audebit unus pluribus par eſſe, ſi fortis erit. Quomodo? virtute, non numero; mente, non robore; pretio, non mole: prorſus ut plures unus exprimat, & tantum poſſit, quantum plures. Vnus etjam vir, omnis vir, ſi bonus erit; & de bonitate omnium unus judicium feret. Senecam audiamus, epiſtola CII. *Claritas non deſiderat multa ſuffragia: poteſt & unius boni viri judicio eſſe contenta. Nam omnes bonos bonus unus judicat.* Deinde: *Si de me bene vir unus*

ſentit,

ſentit, eodem loco ſum, quo ſi omnes idem ſentiant: omnes enim ſi me cognouerint, idem ſentient. Item: *ad gloriam & famam idem poteſt unius ſententia, quod omnium: quia omnium ſi perrogetur, una erit.* Omnium, id eſt bonorum. Nam mali diverſum ſentiunt. Argutari hîc etjam Seneca potuit: *Putas tu, poſſe ſententiam unam omnium eſſe? Non eſt una unius:* quia revera ipſe unus non eſt, nec ſibi conſtat. Sui enim ſimilis eſt, qui unus eſt, uno & eodem ſemper animo, ſermone, vultu, ſive rideat fortuna, ſive iraſcatur: ſed qui à ſeipſo alius eſt, & toties vitam mutat, quoties diem, non eſt unus. Pulchrè idem Seneca, epiſtola CXX. *Magnam rem puta, Vnum hominem agere. Præter ſapientem autem, nemo Vnum agit: cæteri multiformes ſumus. Modò frugi tibi videbimur & graves, modò prodigi & vani. Mutamus ſubindè perſonam, & contrariam ei ſumimus, quam exuimus. De aliquo quẽ vidiſti heri, meritò dici poteſt: Hic quis eſt? tanta mutatio eſt.* Brevitur Epictetus in Enchiridio cap. XXXVI. Ἕνα σε δεῖ ἄνθρωπον, ἢ ἀγαθὸν, ἢ κακὸν εἶναι: *Vnum te oportet hominem eſſe, vel bonum, vel malum.* Si bonus eris, ſapiens eris; ſi malus, inſipiens. Bonus virtute, malus vitio. Vi-

Digitized by Google

tio. Vitium varium eſt: virtutis conſtantem eſſe, Vnitatis eſt. Sic Iobus, ut eſt in Sacris litteris, *fuit unus vir*: id eſt, interprete D. Hieronymo, *non per diverſa mobilis & inſtabilis, ſed firmus atque inconcuſſus perſiſtens*. Sic unus dies hominum eruditorum (ut apud Senecam, epiſtola LXXVIII. Poſidonius philoſophatur) *plus patet, quàm imperiti longiſſima ætas*. Dies enim eruditorum dies eſt: ſemper verò in nocte rudes & imperiti verſantur. Quantò autem ſatius eſt, luce, quàm tenebris frui: tantò plus vivere eruditus, quia diem ſemper habet, dicendus eſt, quàm rudis, quia in obſcuro deſidet. Nimirum occupat ſe eruditus, & ut vivere videatur, aliquid ſemper agit: contrà rudis, tanquam vigilans dormiat, nunquam non mortuo ſimilis eſt. Inſcriptiuncula noſtra huc facit, una è multis, quæ vitro, non marmori inſcriptæ, & in Arce hac Regia conſpicuæ, quid ſit fragile, vel ipsâ luce oſtendunt.

VT QVISQVE VIVIT,
DIEM AVT NOCTEM FACIT:
OTIOSO SEMPER NOX EST,
OCCVPATO DIES.

Ad rem

Ad rem eleganter Philo, libro, Quis divinorum operum heres: Τὸ γὰρ εὐήμερον πολυετίας κρεῖττον. *Nam vel diei unius felicitas multitudine annorum melior.* Quid Pſalmiſta? Pſalmo LXXXIII. *Melior eſt dies una in atriis tuis, ſuper millia.*

CAPVT XXVIII.

Vnus dies pretium omnium: & unus homo omnium.

SI diſcrimen verò dierum inſtituimus, verum eſt, quod Plinius ſcribit, lib. VII. cap. XL. *Alius de alio judicat dies, & tamen ſupremus de omnibus: ideoque nullis credendum eſt.* Quis eſt ſupremus? Vnus, qui omnes continet, & quo ſemel faciendum eſt viventium ſingulis, quod fatalis neceſſitas impoſuit univerſis. Vnus enim ad vitam ſingulis ingreſſus eſt, unus ad mortem exitus. Vnus oſtendit dies, quanti omnes faciendi ſint. Vnus oſtendit homo, quales eſſe omnes debeant; imò quales non eſſe: & hoc eſt, Vnum ſe multorum inſtar preſtare. Vnus vel bonus eſt, vel malus; plures an boni eſſe poſſint, neſcio, ſæpius mali ſunt. De malis igitur omnibus, tanquam de uno ſtatue.

---- Et crimine ab uno.

Diſce omnes.

Pari ſcito Comicus, Phormione:

Vnum ſi nôris, omnes nôris.

Omnes tamen in malitiam conjuncti, pejores ſunt, quam unus. Ab uno etjam corripi ac corrumpi omnes queant:

---- Sicut grex totus in agris
Vnius ſcabie cadit, & porrigine porci,
Vvaque conſpecta livorem ducit ab uva.

De bonis etjam omnibus, tanquam de uno ſtatue. Non poſſunt enim omnes aliud eſſe, quàm unus.

CAPVT XXIX.

Vnum ſcire. Vnum virtutis munimentum. Vnum Convivii ferculum. Vnum vitæ ſcitum & ſcutum. Vnus ad unum.

VT hæc ſunt, & Vnus magnus eſt, & Vnum magnum, & Vnum ſcire, magnum, prouerbiali formulà. Archilochi verſus eſt, apud Zenodotum:

Πολλ' οἶδ' ἀλώπηξ, ἀλλ' ἐχῖνος ἓν μέγα:
Scit multa vulpes, unum echinus maximum.

Sed

Sed rectè unum ſcire, quàm multa vafrè, melius eſt, multiſque dolis unum ſolidumque conſilium antecellit. Multis inſtructa fraudibus vulpes, variâ licet adverſus vim aut ingenium venatorum aſtutiâ ſe defendat; ſæpè tamen in caſſes incidit capiturque. Echinus, quem Latini ericium, & erinaceum dicunt, unâ tantum arte ſuâ (an potiùs naturâ?) tutus, canum morſus & latratus eludit: ſuis enim ſe ſpinis in pilæ ſpeciem convolvens, arma ſimul & munimenta invenit, citiúſque evadit, quàm fugit. Hoc eſt illud, quod Horatii verbis exprimi poteſt: MEA VIRTVTE ME INVOLVO, & pulcherrimum Sapientiæ ſymbolum conſtituit, generosâ ſententiâ, amœnâ imagine, tutâ ſignificatione.

---- *Hic murus aheneus eſto,*

Nil conſcire ſibi, nullâ palleſcere culpâ.

Hoc ſcuto tectus, excipiet ſapiens venenata calumniæ tela, & eliſa confringet. Sed unum, ut magnum eſt; ita ipſius Dei hominis ore *Vnum eſſe neceſſarium* ſcimus. Quomodo? Vnum in convivio ferculum, unum cibum; neceſſitati, non luxui paratum; uſui, non vitio. Aliud pompa, aliud cœna eſt: hæc famem tollit, illa vel ad famam ambitioſa eſt, vel ad voluptatem dapſilis

& ſumptuoſa; & tanquam ignoret naturam vel violet, à numero & varietate delicias quærit. Ergò varius labor, varia occupatio, varium negotium, quando coquina fervet: ſed unum optimum, ſobriè; imò unum optimùm, honeſtè vivere. Hoc illud eſt Σπουδαίως ζῆν ἄριστον, quod è ſeveris voluptatis hortis decerptum, honeſtæ ac ſtudioſæ vitæ teſſeram uſurpare ſoleo, & ſanctiſſimum velut ſapientiæ dogma habere. Vna enim honeſtas votorum lex eſt, virtutis comes, felicitatis via. Vna honeſtas, doctrinæ corona eſt, fortunæ domina, vitæ mortiſque ſecuritas. Vna honeſtas, ſtudiorum dignitas eſt, negotiorum norma, rerum omnium directio ac decus. Hac qui inſtructus, ſanus, pulcher, robuſtus erit: ſui potens, quod amplius eſt, quàm multos ſuperare. Hic ille Hercules erit, qui *pugnare duobus* unus poterit, & adverſariorum æmulorumque numero glorioſiorem ſibi victoriam faciet. Nimirum omnium corpora unus antecellit animus, omnium vires una ratio, omnium manus una mens; quæ cælo hauſta, & divinâ numinis vi inſtructa, vile ducit quidquid ad æternitatem non dirigitur. Si ingenium placet, Lacones hîc inprimis laudandi ſunt; contemptores numeri,

quia

quia plures in uno repræſentare potuerunt; viros in viro, qui ſoli inter Græcos viri erant; Legatos in Legato, qui ut pompam facerent, pluralitate non indigebant. Ergò ad Demetrium Regem, ut Plutarchus narrat, libello de Garrulitate, legatus, ſed unus venit; ad indignantem & commotum, quia unus. Admiſſus, hanc illicò vocem audiit: Ἕνα πρὸς ἐμὲ Λακεδαιμόνιοι; *Itane unum Lacedæmonii ad me?* Ille verò, quia vir erat, aculeato, & prorſus Spartano reſponſo: Ἕνα ποτὶ ἕνα: *unum ad unum.* Dubites, honoratus, an contemptus Demetrius fuerit. Regem eſſe, & unum haberi, pulchrum erat: haberi pro uno, vile videbatur. Lacedæmonii autem, ut oſtenderent, tanti legatum eſſe, quanti ſe Rex faceret, unum ad unum miſère; ſed numerum ille ſi deſideraret, plures in uno miſſos eſſe.

CAPVT XXX.

Amplius unum aliquem, quàm turbam ſapere.

QVia amœnus ſum, etjam rem unius aſſis, id eſt fabulam producam. Etenim,

Plus eſſe in uno ſæpè, quàm in turba boni,

Phædrus Latiniſſimi ingenii libertus narrat:

Digitized by Google

Quidam decedens, tres reliquit filias;
Vnam formoſam, & oculis venantem viros;
At alteram Lanificam, & frugi ruſticam;
Devotam vino tertiam, & turpiſſimam.
Harum autem matrem fecit heredem ſenex,
Sub conditione, totam ut fortunam tribus
Æqualiter diſtribuat: ſed tali modo;
Ne data poſſideant, aut fruantur; tum ſimul
Habere res deſierint, quas acceperint,
Centena matri conferant ſeſtertia.
Athenas rumor implet; mater ſedula
Iuriſperitos conſulit: nemo expedit,
Quo pacto non poſſideant, quod fuerit datum,
Fructúmve capiant: deinde, quæ tulerint nihil,
Quanam ratione conferant pecuniam.
Poſtquam conſumpta eſt temporis longi mora,
Nec teſtamenti potuit ſenſus colligi,
Fidem advocavit, jure neglecto, parens.
Seponit mœchæ veſtem, mundum muliebrem,
Lavationem argenteam, eunuchos glabros;
Lanificæ agellos, pecora, villam, operarios,
Boves, jumenta, & inſtrumentum ruſticum:
Potrici plenam antiquis apothecam cadis,
Domum politam, & delicatos hortulos.
Sic deſtinata dare cum vellet ſingulis,

Et ap-

Et approbaret populus, qui illas noverat,
Æſopus media ſubitò in turba conſtitit:
O ſi maneret conditio ſensûs patri,
Quàm graviter ferret, quòd voluntatem ſuam
Interpretari non potuiſſent Attici!
Rogatus deinde, ſolvit errorem omnium.
Domum, & ornamenta, cum venuſtis hortulis,
Et vina vetera date lanificæ ruſticæ;
Veſtem, uniones, pediſſequos, & cætera
Illi adſignate, vitam quæ luxu trahit:
Agros, vites, & pecora, cum paſtoribus
Donate mœchæ. Nulla poterit perpeti,
Ut moribus quid teneat alienum ſuis.
Deformis cultum vendet, ut vinum paret;
Agros abjiciet mœcha, ut ornatum paret:
At illa gaudens pecore, & lanæ dedita,
Quacunque ſummâ tradet luxuriæ domum.
Sic nulla poſſidebit quod fuerit datum,
Et dictam matri conferent pecuniam
Ex pretio rerum, quas vendiderint ſingulæ.
Ita quod multorum fugit imprudentiam,
Vnius hominis repperit ſollertia.

CAPVT XXXI.

Ex uno, & in uno varietas.

NOn diſſimili ratione, ἐξ ἑνὸς πολλὰ ποιεῖσθαι, dicere Græci ſolent, de eo, qui non uno modo unum idemq; variat, & ex uno plura facit. Lepidum puto, & opportunum hîc eſſe, quod de cœna hoſpitis ſui Chalcidenſis, *hominis & boni & ſciti convivatoris*, apud Livium, lib. xxxv. refert T. Quinctius Flaminius: *Solſtitiali tempore comiter accepti, cum miraremur, unde illi eo tempore anni tam multa & varia venatio: homo renidens, Condimentis, ait, varietatem illam & ſpeciem ferinæ carnis ex manſueto ſuæ factam.* Nimirum, domi copiam, in hara ſilvam eſſe, non minùs ingenio, quàm igni & coqui fercula, & inſtrui. Ad vanum verò terrorem Antiochi Regis, variumque apparatum feſtivè eludendum, hoc exemplo Quinctius uſus eſt: Nominari Dahas, & Medos, & Caduſios, Idumæos, Syros: ſed unam eos omnes vilemque gentem eſſe. Vnam, ac nè unam quidem, ſi minus laudis ac roboris eſt, plures non eſſe. Plus una poteſt, quàm omnes, ſi omnes velut una fiunt.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XXXII.

Vnus homo omnis homo. Vna vita, una mors.

VNus tamen non poteſt omnia: ſed nec unus, ut eſt in proverbio, *videt omnia.* Poſſe omnia, videre omnia, unius Dei eſt. De homine igitur agimus, & quod humanum eſt, expenſum imus. Hic verò unus homo, omnis homo, & omnis homo, unus. Vnus naſcitur, ut omnis; alitur, vivit, moritur, ut omnis. Vna unicuique vita eſt, quia anima una, in uno corpore; una vita, conditio diverſa; uni felix, alteri infelix; uni læta, alteri triſtis; uni longa, alteri brevis: varia denique, quia in divitiis, in paupertate; in miſeriis, in voluptate; in honoribus, in contemptu. Vna etjam mors omnium; ſed aliter aliterque extinguimur, Iuvenes, ſenes, domi, foris. Vna mors, & omnes æquat, imò unum facit: maximè unum, quos unum idemque ſepulchrum recipit. Amantium, Amicorum, conjunctorum votum eſt:

---- *Tumulo ponamur in uno.*

Naturam hîc quoque, & vim diſtinguas. Natura una eſt, ſed varios morbos trahit: vis una, ſed variis modis infeſta; ferro, laqueo, igni, aquâ,

inediâ, veneno; quæ omnia eodem redeunt. Si rectè calculum ponis, tot modis morimur, quot vivimus: & cùm una mors ſit; vitam poſſis mortem, & mortem vitam appellare. Ergò & omnis vita nna eſt, & mors omnis una; vitâ enim & morte cenſentur omnia: conſtant vitâ, morte finiuntur.

CAPVT XXXIII.

Res omnis niſi una eſſet, non eſſet.

VT compendio dicam, & eò redeam unde exorſus ſum, Res unaquæque una eſt, nec eſſet profectò, niſi eſſet una. Si enim unitatis patiatur divortium, jam deſinit. D. Auguſtini verbis & auctoritate uti libet, è lib. 11. De Ordine: *Lapis ut eſſet lapis, omnes partes ejus, omniſque natura in unum ſolidata eſt. Quid arbor? nónne arbor non eſſet, ſi una non eſſet? Quid membra cujuſlibet animantis ac viſcera, & quidquid eſt eorum, è quibus conſtat? Certè ſi unitatis patiatur divortium, non erit animal. Amici quid aliud quàm unum eſſe conantur? & quantò magis unum, tantò màgis amici ſunt. Populus una Civitas eſt, cui eſt periculoſa diſſenſio. Quid eſt autem diſſentire, niſi non unum ſentire? Ex multis*

multis militibus fit unus exercitus. Nónne quavis multitudo eò minùs vincitur, quò magis in unum coït? unde ipſa coïtio in unum cuneus nominatus eſt, quaſi coüneus. Quid amor omnis? nónne unum vult fieri cum eo quod amat? & ſi ei contingat, unum cum eo fit. Voluptas ipſa non aliud delectat vehementiùs, niſi quod amantia ſeſe corpora in unum coguntur. Dolor unde pernitioſus eſt? quia id quod unum erat, diſſcindere nititur. Ergò moleſtum & periculoſum eſt, cum eo unum fieri, quod ſeparari poteſt. Ex multis rebus paſſim antejacentibus, deinde in unam formam congregatis, unam facio domum. Res igitur unaquæque una eſt. Vna, ſed materiâ & formâ: materia autem, quoties aliam formam recipit, aliud eſſe recipit; quæ nova unitas eſt, ex novo materiæ & formæ nexu, velut naturæ connubio procreata. Sic homo unus eſt, ſed animâ & corpore: ſeparetur à corpore anima, jam homo non eſt, quia unus non eſt. Aliam enim formam materia capit. Sic corpus unum eſt, ſed è materia & forma: conſumat vel ignis, vel aër, vel aqua, vel terra, corpus, nova forma erit; res nova, ſed rurſus una. An ſimpliciùs? corpus unum eſt; ſed è membris ſuis, ſive partibus compoſitum: diſ-

ſolve partes, corpus eſſe corpus deſinet, quia deſinet eſſe unum. Pulchrè iſta & ingenioſè Boëtius, libello ſingulari de Vnitate & Vno: *Quidquid eſt, ideò eſt, quia unum eſt. Omne enim eſſe ex forma eſt in rebus creatis; ſed nullum eſſe ex forma eſt, niſi cùm forma materiæ unita eſt. Eſſe enim non eſt, niſi ex conjunctione formæ cum materia. Vnde Philoſophi dicunt, Eſſe eſt exiſtentia formæ in materia. Cùm autem forma materiæ unitur, ex conjunctione utriuſque neceſſariò aliquid unum conſtituitur. In qua conſtitutione illud unum nō permanet, niſi quamdiu unitas formam cum materia tenet. Deſtructio rei non eſt aliud, quàm ſeparatio formæ à materia: ſed ſeparatio & unitio contraria ſunt: igitur ſeparatione ſi res deſtruitur, profectò in ſuo eſſe non niſi unitate conſervatur. Vnitio autem non fit, niſi ab unitate quâ eſt; ab unitione, quæ erat, unum diſſolvitur. Solutâ autem unione, deſtruitur eſſentia ejus, quod ex earum unitione provenerat, & fit non unum. Quapropter ſicut unitate res ad eſſe ducitur; ſic & in illo eſſe cuſtoditur. Vnum eſſe, & unum inſeparabiliter comitantur ſe, & videntur ſimul naturâ.*

CAPVT

CAPVT XXXIV.

Deus ipſe, quia Deus, Vnus & Trinus eſt. Vnâ litterâ Vnum & Trinum exprimi.

IPſe rerum Creator Deus, niſi unus eſſet, Deus non eſſet: pluralitas enim divinitatem deſtruit. Vnus igitur & Omnis, quia plures eſſe non poſſunt. Vnus & Trinus, quæ perfectionis perfectio eſſet. In Deo enim nulla è numero diverſitas eſt, nulla è diverſitate pluralitas, nulla ex adjunctis multitudo: mera & prima unitas eſt, quæ tres perſonas unâ naturâ, unâ ſubſtantiâ continet. Pater Deus eſt, & Filius Deus eſt, & Spiritus Sanctus Deus eſt, Deus unus, non tres Dii: qui cùm ſe ſolus intelligat, à ſe quoque intelligi ſolo poteſt. Intelligendo verò intra ſe ſimilem ſibi neceſſariò paremque gignit, perfectus perfectum, Pater Filium. Patris autem abſolutiſſima imago & velut character, Filius eſt: non diverſus à Patre naturâ, ſed tantùm generationis proprietate; quo myſterio perſonam veneramur. Idem cum Patre, quia Deus eſt; diverſus, quia Filius. Admirabilem verò hanc generationem, mutuus amor ſequitur, amor unus,

neceſſarius, & ejuſdem cùm uno, & uno naturæ; amor Patris in Filium, & Filij in Patrem. Hæc illa Spiritûs Sancti virtus eſt; hoc vinculum numinis, ardor, ignis, charitas. Hunc Spiritum cùm non intelligerent Philoſophi (cum Cypriano dicam, lib. de Spiritu Sancto) *Vitam, motum, rerum eſſentiam, animam mundi vocaverunt*. Sed noſtrum eſt, non curioſos hîc, ſed pios eſſe, colere & adorare in Monade Triadem, in Triade Monadem; quia intelligere & explicare non licet. Nulla, inquam, verba, quâ ratione Vnus ſit Trinus aperiunt: ſed eſſe Trinum & Vnum, una adumbrat littera, quæ prima eſt, & unitatem quoque denotat, elementum officio, myſterium ſignificatione. A, inquam, quemadmodum apud Græcos Latinoſque formatur, Dei Vnius & Trini pictura eſt. Vna littera, ſed tres omnino lineæ ſunt: littera ad Deum, lineæ ad Trinitatem referuntur. Prima ſubtilis, & ad ſummum Patrem aſſcendit; ſecunda lata, & è ſummo deſcendens, Filium; tertia ex utraque profluens, medioque ſe inſinuans ductu, Spiritum Sanctum denotat. Eò imago tendit, ut doceam, Vnum eſſe, qui Trinus eſt; Deum eſſe, qui Vnus eſt: eſſe auctorem

& prin-

& principium omnium, rectorem & conſervatorem: eſſe unum ſuper omnia, & unum omnia, ſummum, perfectum, æternum, infinitum. Hîc mergor, hîc obruor: quidquid poſſum dicere, quidquid non poſſum, Deus eſt. Quod poſſum, unum; quod non poſſum, infinitum eſt. Dico Deum eſſe, & hoc poſſum, hoc ſcio. Quomodo ſit, & quomodo infinitus, unus ille ſcit, qui Deus eſt, qui unus, & infinitus.

CAPVT XXXV.

Deus unus finis omnium. Homo unus, aliquid Dei habet: omnis in uno eſt.

A Deo ecce ſumi cœperunt Vnius laudes, ad hunc unum, qui finis eſt omnium, redeunt: infinitæ ſunt, non poſſunt niſi ſilentio abſolvi. Poſt Deum quoque, quicumque unus, magnus eſt: quia hæc natura Dei, magnum eſſe. Omnis, mihi unus eſt: in uno laudo, quidquid omnis habet. Ex omnibus quæ ſunt, tolle unum, ne omne quidem invenies; tolle omne, deſinet quoque unum eſſe. Ad ſummam, ſive Sermonem, ſive Rem examines, Vnus homo, Omnis homo; Omnis, nonniſi Vnus eſt.

ANITI

ANITI
MANLI SEVERINI
BOETI
DE VNITATE ET VNO
LIBELLVS,

E. PVTEANVS LECTORI.

INTER *plures aureoſque* BOETI *libellos* CONSOLATIO PHILOSOPHIÆ, *omnium judicio, velut gemma pretioſiſſima elucet: hic deinde* DE VNITATE ET VNO, *pleriſque velut unio habetur. Scribere qui potuit, Omnia Vnum eſſe; facilè potuit unus omnia: non alieno autem argumento*, DEVM VNVM ET TRINVM ESSE, *quæ ſumma hominis docti & Chriſtiani contemplatio eſt: nec alienò*, OMNE QVOD EST, BONVM ESSE, *quemadmodum Pythagorici & Pſeuſippus bonum & unum, unum eſſe voluerunt. Sed de his aliàs: pauca nunc iſta De Vnitate & Vno hîc adjungo, ut plura mea De Vno & Omni amœniora evadant. Tanti fortaſſis erat, mea ſcribi; ut quæ à* BOETIO *ſcripta eſſent, ſimul legerentur. Vtinam & ea quæ de* BOETIO! *Vitam enim tanti viri, Excellentiſſimus ille, & æterni nominis* στρατηλάτης *noſter*, FRANCISCVS MONCADA *Aytonæ Marchio compoſuit, & quid in eo genere ſummum eſſet, oſtendit. An dicam? pugnare & ſcribere, unius aliquando Cæſaris fuit: ſcribere & pugnare, unius nunc* MONCADÆ. *Pugnat enim feliciter, quia ſcribere potuit; bellum pace glorioſum facturus, ut ſcribi ſæpiùs ab omnibus mercatur. Sed tu Lector, ad* BOETIVM *nunc veni; imò ad Vnitatem & Vnum veni: ita fortaſſis Amœnitatem meam tanquam ſeriam æſtimabis.*

VNITAS

Digitized by Google

VNITAS eſt, quâ unaquæque res dicitur eſſe una. Sive enim ſit ſimplex, ſive compoſita, ſive ſpiritualis, ſive corporea, unitate una eſt, nec poteſt eſſe una niſi unitate; ſicut alba niſi albedine, nec quanta niſi quantitate. Non ſolùm autem unitate una eſt; ſed etjam tamdiu eſt, quidquid id quod eſt, quamdiu in ſe unitas eſt. Cùm autem deſinit eſſe unum, deſinit eſſe id quod eſt, unde hoc eſt. Quidquid eſt, ideo eſt, quia unum eſt: quod ſic oſtenditur. Omne enim eſſe, ex forma eſt in rebus creatis; ſed nullum eſſe ex forma eſt, niſi cùm forma materiæ unita eſt: eſſe enim non eſt, niſi ex conjunctione formæ cum materia. Vnde Philoſophi dicunt, illud deſcribentes: Eſſe eſt exiſtentia formæ in materia. Cùm autem forma materiæ unitur, ex conjunctione utriuſque neceſſariò aliquid unum conſtituitur. In qua conſtitutione illud unum non permanet, niſi quamdiu unitas formam cum materia tenet. Deſtructio rei non eſt aliud, quàm ſeparatio formæ à materia; ſed ſeparatio & unitio contraria ſunt: igitur ſeparatione ſi res deſtruitur, profectò in ſuo eſſe non niſi unitate conſervatur. Vnitio autem nõ fit niſi ab unitate qua eſt; ab unitione quod erat unum, diſſolvitur. Solutâ autem unione, deſtruitur eſſentia ejus, quod ex earum unitione provenerat, & fit non unum. Quapropter ſicut unitate res ad eſſe ducitur, ſic & in illo eſſe cuſtoditur. Vnum eſſe, & unum inſeparabiliter, comitantur ſe, & videntur ſimul naturâ: quia enim creator unus eſt, ideo rebus quas condidit, hoc in munere dedit, ut unaquæque eſſet etjam una. Ac per hoc ex quo res habet eſſe, una eſt; ideo motus ſubſtantiarum eſt ad unum, & propter unum, & nihil eorum quæ ſunt appetit eſſe; ſed omnia ſicut appetunt. Habere autem eſſe non poſſunt, niſi unum: ideo omnia ad unum tendunt. Vnitas enim eſt, quæ unit omnia, & tenet omnia diffuſa in omnibus quæ ſunt. Quapropter quia materia non habet

eſſe, niſi per unionem ſui cum forma; forma autem non tenet unitatem cum materia, niſi unitas ſit: ideo materia eget unitate ad uniendũ ſe, & de natura ſua habet multiplicari, dividi, & ſpargi. Vnitas verò retinet, unit, & colligit; ac per hæc ne materia dividatur, & ſpargatur, neceſſe eſt ut ab unitate retineatur. Quidquid autẽ per ſe non unitur, per ſe utiq; ſpargitur; quia omne quod facit aliquam rem contrariam agenti, facit contrariã factæ rei. Contrariorum enim contrarii ſunt effectus. Quia unitas facit unum, profectò materia facit diviſionẽ; ac per hoc unitas per ſe retinet materiam: ſed quidquid per ſe retinet, non poteſt facere ſeparationem: forma ergò exiſtens in materia, eſt quæ perficit & cuſtodit eſſentiam cujuſlibet rei. Vnitas eſt deſcendens à prima unitate, quæ creavit eam. Prima enim & una unitas (quæ eſt unitas ſibiipſi) creavit aliam unitatem, quæ eſt infra eam: ſed quia, omne creatum diverſum eſt ab eo, à quo creatum; profectò creata unitas à creante omnino diverſa eſſe debuit, & quaſi oppoſita. Sed quia creatrix unitas non habet principium neque finem, nec permutationem, nec diverſitatem; ideò creatæ unitati accidit multiplicitas, diverſitas, & mutabilitas; ita ut in quadam materia ſit habens principium & finem, ut in generatis; in quadam verò, ut in creatis, principium non finem: quia in quibuſdam ſubjacet permutationi & corruptioni; in quibuſdam materia eſt ſubtilis, ſimplex, remota à contrarietate, & ſeparatione: perficitur autem ei unitas, & unitur cum ea, ſicut hæc & illa. Sicut non diviſibile in actu, ſicut in cœleſtibus corporibus, in quibus unitas à materia inſeparabilis eſt, & ideò carent fine, quia perpetua ſunt. In quibus verò materia fuerit ſpiſſa, debilis, non adæquatur eis unitas, ſed debilitatur in uniendo eorum eſſentiam; & ob hoc diſſolvitur eſſentia eorum, quia non retinetur ab unitate, ſicut in generatis, quæ habent principium & finem. Quantò enim unaquæque unitas propinquior fuerit primæ & veræ unitati, tantò materia formata per illam erit

magis

Digitized by Google

magis una, & ſimplex: & è converſo, quantò remotior fuerit à prima unitate, tantò erit multiplicior,& compoſitior, & ob hoc unitas quæ duxit ad eſſe materiam intelligentiæ, eſt magis una, & ſimplex, & non multiplex,nec diviſibilis eſſentialiter: ſed ſi diviſibilis eſt, hoc ſiquidem accidentaliter eſt, & ideo hæc unitas ſimplicior, & magis una eſt omnibus unitatibus, quæ ducunt ad eſſe cæteras ſubſtantias; eoquòd immediatè adhæret primæ unitati, quæ creavit eam. Sed quia unitas ſubſiſtens in materia intelligentiæ, eſt unitas ſimplicitatis; ideo neceſſariò unitas ſubſiſtens in materia animæ, quia infrà eam eſt, creſcit & multiplicatur, & accidit ei mutatio & diverſitas; & ſic paulatim deſcendendo à ſuperiori per unum gradum materiæ, inferior unitas augetur, & multiplicatur, quouſque pervenietur ad materiam, quæ ſuſtinet quantitatem, ſcilicet ſubſtantiam hujus, quæ quidem à prima unitate remotiſſima eſt, propter ſpiſſitudinem craſſitudine ſua oppoſita ſubſtantiæ ſuperiori, quæ eſt ſubtilis & ſimplex: quoniam illa eſt ſubjectum principii & initii unitatis. Finis verò multum diſtat à principio, quoniam finis non eſt dictus niſi defectus virtutis principii & terminus. Vnde ſecundum deſcenſum unitatis à ſuperiore ad inferius, fit degeneratio,ſive ſimplicitatis, ſive minorationis ſuæ virtutis,ad ſimilitudinem aquæ,quæ in ortu ſuo ſubtilis & clara naſcitur; ſed paulatim deorſum fluens, in paludibus & ſtagnis inſpiſſatur & obſcuratur. Sic paullatim variatur unitas propter varietatem materiæ, quæ ſuſtinet eam: nam quia aliquid eſt materiæ ſpirituale, & aliquid corporale; eſt aliquid eius purum & lucidum, & aliquid eius ſpiſſum & obſcurum, & hoc propter quantitatẽ.Eius partes in aliquibus ſunt rariores, ut in aëre: in aliquibus verò ſtrictiores,ut in lapide.Ideo unaquæque res materiæ ſecundum gradum ſuæ elongationis, à prima unitatis origine recipit unitatem,quæ dignior eſt ex ſua aptitudine. Inde eſt quòd videmus partes ignis nimis unitas, ſimplices, & æquales; adeò ut forma

 ejus

ejus videatur una, non habens in ſe diverſitatẽ: partes verò aëris & aquę invenimus magis diverſificatas & ſeparatas; adeò ut partes eorum & unitates diſcerni poſſint. In duris autẽ corporibus & ſpiſſis unitatis jam major diverſitas & obſcuritas eſt. Quia igitur materia in ſupremis formata eſt intelligentiæ forma, & forma rationalis animæ, deinde forma animæ ſenſibilis, deinde forma animæ vegetabilis, deinde forma naturæ, ad ultimum autẽ finis eſt forma corporis; hoc non accidit ex diuerſitate virtutis agentis, ſed ex aptitudine materiæ ſuſcipientis. Forma enim eſt quaſi lumen, eo quòd ſicut per lumẽ res videtur, ſic per formã cognitio & ſcientia rei habetur, non per materiam. Sed hoc lumen in quibuſdã eſt clarius, in quibuſdã obcurius, prout materia, cui infunditur forma, eſt clarior & obſcurior. Quò enim materia fuerit ſublimior, fit ſubtilior, & penetratur tota à lumine, & ideo ſubſtantia ipſa ſapientior & perfectior, ſicut intelligentia & rationalis anima. Et è converſo, quò materia fuerit inferior, fit ſpiſſior & obſcurior, & non ita penetratur à lumine, quò materia magis deſcendit, ſicut iam ſupradictum eſt, conſtringitur, & ſpiſſatur, & corpulentatur, & partes ejus mediæ prohibent ultimas perfectè penetrari à lumine. Non enim eſt poſſibile, ut tantum luminis penetret ſecundam, quantum primam; nec ad tertiam tantum luminis perveniat, quantum ad mediam; & ſic paullatim, donec pervenietur uſque ad partem materiæ infimam: quæ quia remotiſſima eſt à fonte luminis, lumen debilitatur in illa; nec tamen hoc, ſicut dictum eſt, propter lumen in ſe, ſed propter multam debilitatem & obſcuritatem materiæ in ſe. Quemadmodum lumen Solis, cùm admiſcetur tenebroſo aëri, non eſt illius virtutis cujus eſt, admiſtum claro aëri: vel quemadmodum pannus albus tenuiſſimus cùm induitur à corpore nigro, occultatur candor eius, propter abundantiam nigredinis: vel quemadmodũ ſi tres vel plures feneſtræ vitreæ, una poſt aliam, rectè contra radium Solis diſponantur in ordine; conſtat ſiquidem, quòd
ſecunda

ſecunda minus recipit luminis quàm prima, & tertia minus quàm ſecunda; & ſic uſque ad ultimam fit defectus luminis, non propter lumen in ſe, ſed propter elongationem feneſtræ vitreæ à lumine: ita ut lumen formæ unitatis, quod infuſum eſt materiæ, deſcendendo fiat debile & obſcurum. Primum enim multum diſcrepat à medio, & medium ab ultimo: & propter hanc diverſitatem formæ unitatis, non uno modo, ſed pluribus dicitur aliquid ab unitate unum. Vnum enim aliud eſt eſſentiæ ſimplicitate unum, ut Deus. Aliud ſimplicium cognitione unum, ut Angelus, & anima, quorum unumquodque eſt unum coniunctione materiæ & formæ. Aliud eſt continuitate unum, ut arbor, & petra. Aliud eſt compoſitione unum, ut ex multis tabulis una arca, vel ex multis parietibus una domus. Alia dicuntur unum aggregatione, ut populus, grex, congeries lapidum, vel acervus tritici. Alia dicuntur præpoſitione unum, ut rector navis, & gubernator civitatis dicuntur unum, ſimilitudine officii. Alia dicuntur unum accidente, ut diverſa ſubiecta eiuſdem qualitatis dicuntur unum in ea qualitate, ſicut nix, & cygnus unum ſunt albedine. Alia dicuntur unum numero, ut diverſa accidentia, quæ eidem ſubiecto inſunt, dicuntur unum numero, id eſt, in numerando, ut hoc dulce, & hoc cæruleum, vel hoc longum, vel hoc latum. Alia dicuntur unum ratione; ſed hoc duobus modis: vel ratione conſortij, ut ens intellectus, & res aliquid, & vocabulum unum genus: vel ratione unius ſacramenti, ut ſpiritus, aqua, & ſanguis dicuntur unum. Alia dicuntur naturâ unum, ut participatione ſpeciei plures homines unus. Alia dicuntur unum natione vel linguâ, ut multi homines dicuntur una gens, vel una tribus. Alia dicuntur unum more; ſed hoc duobus modis: vel quia ſecundum conſenſum virtutis & dilectionis, ut multitudinis credentium erat cor unum & anima: vel ſecundum conſenſum eiuſdem vitij plures homines dicuntur unum, ut qui adhæret meretrici unum corpus efficitur.

ficitur. Sic omnia unitatem appetunt, ut etiam ea quæ multa ſunt, unum dici velint. Quæcumque enim ſunt idem quod ſunt, ita verâ unitate eſſe nituntur, ut eam ſimulando nituntur. Quidquid enim eſt, vel eſt unum, vel plura. Pluralitas autem non eſt niſi ex aggregatione unitatum; quæ unitates ſi ſunt diſgregatæ, faciunt multitudinem: ſin verò fuerint continuæ in materia, faciunt magnitudinem. Quapropter inter unitates quantitatis diſcretæ, & unitates quantitatis continuæ ſubſiſtentis in materia, nihil intereſt, quia illæ diſgregatæ ſunt, & illæ continuæ. Continuum genus non eſt niſi ex diſcreto, quia intellectus continuitatis non eſt in continuo, niſi continuatio diſgregatorum. At propter hoc neceſſe eſt, ut continua quantitas non adveniat in ſubſtantiã niſi ex unitatibus. Quando enim partem quantitatis ſignaveris, neceſſe eſt ut ſit unum vel plura. Sed omnis pluralitas (ut dictum eſt,) ex unitatibus eſt. Vnde apertè datur intelligi, quòd diſcretæ & continuæ quantitatis radix una eſt, eo quòd compoſita ſunt ex una re, & reſoluuntur ad unum. Et etjam quia corporis partes quò magis fuerint ſibi conjunctæ & conſtrictæ, ipſum corpus erit ſpiſſius & magis quantum, ut lapidis: & è conuerſo, quò magis fuerint partes corporis diſſolutæ, & latæ, ipſum erit ſubtilius, & levius, & minus quantum, ut aer. Verum eſt igitur, quòd continua quantitas non venit in ſubſtantiam, niſi ex coniunctione & conſtructione unitatum in illa. Vnitas igitur eſt, quâ unaquæque res una eſt, & eſt id quod eſt.

VNITAS BOETIANA,
SVCCINCTA PARAPHRASI
AB ERYCIO PVTEANO.
ILLVSTRATA.

VNitate rem unamquamque unam eſſe, & eſſe id quod eſt, ſui ſæculi ſubtilitas Boetius docet, quodam quaſi definitionis circulo univerſam diſputationem includens. Summa eſt, Vnum eſſe omnia, omnia unum. Ideò verò unumquodque eſt, quia unum eſt: unum autem conjunctione materiæ & formæ; non unum, ſeparatione. Vnum etjam neceſſariò unum eſt. Quia enim Deus unus eſt, res à Deo condita non poteſt eſſe niſi una; nec habere eſſe, niſi unum. Eſſe illud à forma eſt, quam materia unitate retinet. Vnitas quidem hæc à prima deſcendens unitate, Deo, diverſa eſt à prima, inferior, debilior, ac minùs una. Prima & creatrix, neq; principium habet, neq; finem, permutationis ac diverſitatis expers. Minor, partim in rebus creatis, partim in generatis conſideranda. Res generatæ, quæ remotiores, & principium & finem habent, quia formæ mutationem: ut, homo, brutum, arbor: unitas enim quia debilior, à materia ſeparabilis eſt. Creatæ, quia mediæ, principium habent, finem non habent; habere tamen poſſunt: ut, ſpiritus, cæli, ſidera: unitas enim quia firmior, à materia (ſi materia tamen admittenda) inſeparabilis eſt. Quidam hîc igitur velut ordo unitatum ac deſcenſus eſt, à prima ad medias, infimaſq;. Simplicior intelligentiæ, & indiviſibilis unitas eſt; quippe primæ propinquior: multiplicior animæ, quæ inferiori loco materiæ ineſt: ultima, quæ quantitatem ſuſtinet, ſequioris naturæ. Aqua documento eſt, quæ in fonte pura & lucida, in ſtagnis paludibuſque

dibuſque denſa & obſcura. Sic unitas, pura ac lucida in ſpiritualibus, tamquam in fonte; denſa & obſcura in corporeis, tanquam in ſtagnis. Hîc quoque gradus diverſitatis ſunt: majorque unitas in igni, quàm in äere, & aqua: quia magis hîc partes, & ſic unitates diſcernuntur, ac variæ ſunt. Minor in duris corporibus ac ſpiſſis, quia plus diverſitatis & obſcuritatis. Prima igitur intelligentiæ forma eſt, hinc animæ rationalis, animæ ſenſibilis, animæ vegetabilis; inde forma naturæ, denique corporis: quæ diverſitas non è virtute agentis, ſed aptitudine materiæ ſuſcipientis naſcitur. Rei autem cujuſq; cognitio per formam, tamquam per lumen habetur: lumen vel clarius, vel obſcurius eſt prout materia, cui forma infunditur, clarior vel obſcurior. Clarior & ſubtilior in ſupremis, obſcurior in reliquis & ſpiſſior: non formæ defectu, ſed materiæ, quæ naturæ ordine ac deſcenſu debilitatur. Ita Solis lumen tenebroſo mixtum aëri, minoris virtutis eſt, quàm ſi claro puroq; miſceatur. Et ſindon alba ſi nigro induatur corpori, amittit candorem ſuum nigredine prævalente. Lumen quoq; per plures ordine feneſtras vitreas tranſmiſſum, debilius in ſecunda apparebit quàm in prima, & in tertia quàm in ſecunda, non Solis defectu, ſed vitri. Quia igitur diverſitati huic forma unitatis obnoxia eſt, unum non uno modo ab unitate dicitur unum. Vnum eſſentiæ ſimplicitate, ut Deus. Vnum ſimplicium cognitione, ut Angelus, & anima. Vnum continuitate, ut arbor, & lapis. Vnum compoſitione, ut domus. Vnum aggregatione, ut populus. Vnum munere, ut rector urbis, & navis. Vnum qualitate, ut nix & cygnus ratione coloris. Vnum numero, idque vel ratione ſubjecti, ut hoc longum, & hoc latum: vel ratione conſortii, ut mens & intellectus, res & aliquid. Vnum ſacramento, ut ſpititus, aqua, ſanguis. Vnum ſpecie, ut plures homines unus. Vnum natione & linguâ, ut Romani gens una. Vnum more & conſenſu, ſive virtutis, ut, *multitudinis credentium erat cor unum & anima una*: ſive vitii, ut, *qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur.* Ad ſummam, omnia Vnitatem appetunt, & omnia vel unum, vel plura ſunt. Sed pluralitas ex aggregatione

unita-

unitatum: quæ ſi diſcretæ, faciunt multitudinem; ſi continuæ in materia, magnitudinem. Multitudo numero una eſt, magnitudo quantitate: non poteſt autem multitudo eſſe, niſi plures unitates ſint; nec magnitudo, niſi plures ſint partes, quæ & ipſæ unitates dicuntur. Atque ita, Boëtio docente, res unaquæque unitate una eſt, & id quod eſt.

ADDENDA
AD AMOENITATEM
DE VNO ET OMNI.

STERILE, *neſcio, an fæcundum hoc appellare argumentum debeam. Quid magis ad nihil accedit, quàm Vnum? Quid magis ad infinitum, quàm Omne? Si rectè calculum ponis, in uno non aliud quàm unum eſt: rurſus in uno omnia; quæ ad unum tamen redeunt. Expendi unum, & paucis totum videbar poſſe abſolvere: cùm ad omnia venirem, etiam in fine principium deprehendi. Itaque ut hìc etiam modus eſſet, quo uno definiuntur omnia, pauca addidi, quæ prætermiſſa videbantur: reliqua omiſi, quæ plura erant, quàm ut ab uno dicerentur. Tu Lector, quæ multa non ſunt, libenter percurre: ita fortaſſis, quæ pauca ſcripſeram, multa erunt. Salve.*

O CAPITE

Digitized by Google

CAPITE II. pag. 11. lin. 6. redeunt.] Adde: An philoſophari lubet? Sed cum Antiquis, quos Cicero laudat, lib. 11. De Oratore: *Ac mihi quidem Veteres illi majus quiddam animo complexi, plus multò etjam vidiſſe videntur, quàm quantum noſtrorum ingeniorum acies intueri poteſt; qui omnia hæc, quæ ſuprà & ſubter, unum eſſe, & unâ vi, atque unâ conſenſione naturæ conſtricta eſſe dixerunt. Nullum eſt enim genus rerum, quod aut avulſum à cæteris per ſe ipſum conſtare, aut quo cætera ſi careant, vim ſuam atque æternitatem conſervare poſſint.* Homo ſimpliciter, &c. Pag. 12. lin. 11. *reſtituit rem.*] Scribe: *reſtituis rem.*

CAP. V. pag. 16. lin. 9. hic ordo ſervandus eſt: *Vnuſaliquis, unuſnullus, unuſullus, unuſnemo.* Pag. 19. lin. 7. *Suique ſimilis.*] Adde: Nihilunum, apud Quinctilianum, lib. XI. cap. III. *Standi, ambulandi, ſedendi, jacendi vices ſunt, nihilque eorum pati unum diu poſſumus.* Pag. ead. lin. 11. Paucula ſunt:] Adde: *Vnanimans* Plaûto, *unanimus*, &c. Pag. 19. lin. 11. Paucula ſunt:] *Vnanimans* Plauto.

CAP. VI. pag. 22. lin. 5. *Vnus è multis.*] Adde: In Metronacte Seneca, epiſt. XCIII. *Laudemus, & in numero felicium reponamus eum, cui quantulumcumque temporis bene collocatum eſt. Vidit enim veram lucem, non fuit unus è multis. Et vivit, & vixit, & viguit.* Sic & Ciceroni, &c.

CAP. VII. pag. 22. lin. 21. *uno tenore*,] Adde: *uno animo, uno nomine*, &c.

CAP. VIII. pag. 26. lin. 25. *caput ac pater Deorum.*] Adde: Poſt Antiquos illos, longo ſatis intervallo temporis, nullo doctrinæ, audiendus hîc quoque Franciſcus Petrarcha, divinâ vir facundiâ, & renaſcentium è Barbarie ſæculorum cæleſte quaſi jubar. Is de Vera Sapientia, Dialogo inter Idiotam & Oratorem II. Monadem curioſè illuſtravit. IDIOTA. *Quid hic aſpicis in foro?* ORATOR. *Video numerari pecunias, ponderari merces, menſurari oleum, & alia.* ID. *Hæc ſunt opera rationis, per quam homines beſtiis antecellunt. Nam numerare, ponderare, menſurare bruta nequeunt. Sed per quem, in quo, & ex quo hæc fiunt?* OR. *Per diſcretionem.*

ID. *Rectè*

Digitized by Google

ID. *Rectè. Per quid autem Diſcretio? Nónne per unum numeratur?* OR. *Quomodo?* ID. *Nónnè unum eſt unum ſemel? & duo unum bis? & tria unum ter? & ſic deinceps?* OR. *Ita eſt.* ID. *Per unum igitur fit omnis numerus.* OR. *Ita videtur.* ID. *Sicut igitur unum eſt principium numeri, ſic pondus minimum eſt principium ponderandi, & menſura minima principium menſurandi. Vocetur igitur illud pondus uncia, & menſura cyathus. Nónne ſicut per unum numeratur, ita per unciam ponderatur, & cyatho menſuratur?* OR. *omnino.* ID. *Per quid autem attingitur unitas, per quid uncia, per quid cyathus?* OR. *neſcio. Scio tamen unitatem non attingi numero, quia numerus eſt poſt unum; ſic nec unciam pondere; nec cyathum menſurâ.* ID. *Optimè. Sicut enim ſimplex priùs eſt naturâ compoſito: ita compoſitum naturâ poſteriùs. Vnde compoſitum non poteſt menſurare ſimplex, ſed è converſo. Ex quo habes, illud per quod, ex quo, & in quo omne numerabile numeratur, non eſſe numero attingibile: ſimiliter illud, per quod, ex quo, & in quo omne ponderabile ponderatur, non eſſe pondere attingibile: & id per quod, ex quo, & in quo omne menſurabile menſuratur, non eſſe menſurâ attingibile.* OR. *Hoc clarè conſpicio.* ID. *Id verò quod de unitate, unica, cyatho dico; de omnibus quoad principium omnium, dicendum eſt. Nam omnium principium eſt, per quod, ex quo, in quo omne quod incipit, principium ſuum habet. Omnium tamen principium nullo poteſt eſſe principio attingibile. Ipſum eſt, per quod, ex quo, & in quo omne intelligibile intelligitur; & tamen non eſt intellectu intelligibile; aut fatu effabile, aut termino terminabile, aut fine finibile. Videas igitur, quomodo vera Sapientia in altiſſimis habitet. Vnde hac Sapientia eſt omni ſcientiâ altior, & inſcibilis, omni loquela ineffabilis, omni intellectu non intelligibilis, omni menſura immenſurabilis, omni proportione improportionabilis, omni imaginatione inimaginabilis, omni ſenſatione inſenſibilis, omni tractatione intractabilis, omni guſtu inguſtabilis, omni auditu inaudibilis, omni viſu inviſibilis, omni apprehenſione inapprehenſibilis, omni affirmatione inaffirmabilis, omni negatione innegabilis, omni dubitatione indubitabilis, omni opinione inopinabilis. Et quia omni eloquio eſt inexpreſſibilis, harum locutionum non poteſt finis cogitari: cùm omni*

cogitatione ſit incogitabilis ipſa glorioſa atque aeterna Sapientia, per quam, ex qua, & in qua omnia.

Cap. IX. pag. 29. lin. 2. Species mente] Muta & adde: Species objectorum externorum per ſenſus receptæ habeant colorum, aut ſonorum, &c. Has ſpecies Philoſophi noſtri *Intentionales* vocant.

Cap. XI. pag. 34. lin. 16. ad finem capitis, *memorari.*] Adde: Philoſophari hîc cum Seneca Stoico more iuvat, lib. 11. Nat. Quæſt. cap. 11. *Interea corpora, à quibus unitas eſt, aëra eſſe.* Item, *Aliquid eſſe continuum, aliquid commiſſum. Continuatio eſt partium inter ſe non intermiſſa conjunctio. Vnitas eſt ſine commiſſura continuatio, & duorum inter ſe conjunctorum corporum tactus. Nunquid dubium eſt, quin ex his corporibus quæ videmus tractamuſque, quæ aut ſentiuntur, aut ſentiunt, quædam ſint compoſita? Illa conſtant, aut nexu, aut acervatione: ut puta, funis, frumentum, navis. Rurſus non compoſita: ut, arbor, lapis. Ergò concedas oportet, ex his quoque quæ ſenſum quidem effugiunt, cæterùm ratione prenduntur, eſſe in quibuſdam unitatem corporum. Vide, quomodo auribus tuis parcam. Expedire me poteram, ſi Philoſophorum linguâ uti voluiſſem, ut dicerem Vnita corpora. Hoc cùm dixero, tu inuicem mihi refer gratiam. Quare illud? Siquando dixero Vnum, memineris, me non ad numerum referre, ſed ad naturam corporis, nullâ ope externâ, ſed unitate ſuâ cohærentis. Ex hac nota corporum aër eſt.* Pluſculis interjectis, de eodem aëre: *Quem ſic partem mundi voco, ut animalia & arbuſta.* Deinde: *Vnum autem animal, & una arbor quaſi pars eſt, quia quamuis perierit, tamen id ex quo perit, totum eſt. Aër autem & cælo & terris cohæret: utrique innatus eſt. Habet autem unitatem, quidquid alicujus rei nativa pars eſt. Nihil enim naſcitur ſine unitate.*

Cap. XII. pag. 35. lin. 4. à quo ſunt omnia, Deus.] Adde: Cùm omnes quoque homines, immiſſo in Orbem terrarum diluvio, perirent, unus cum uxore & liberis ſervatus eſt; ut ab uno rurſus, & nova velut origine, genus univerſum propagaretur. Ab uno, ſed juſto, inter tot injuſtos. Ita Sacræ Litteræ: quibus Sancti Patres tanquam

inter-

Digitized by Google

interpretes accedunt, Vnus hic mihi inter alios erit Lactantius, lib. II. Divinarum Inſtitutionum, cap. XIII. *Deus autem poſtea, cùm videret Orbem terræ malitiâ & ſceleribus oppletum, ſtatuit humanum genus diluvio perdere: ſed tamen ad multitudinem reparandam delegit unum, quod corruptis omnibus ſingulare Iuſtitiæ ſupererat exemplum.* Accedat & alter, Sulpitius Severus: *Sed Noë, Virum Iuſtum vita innocens deſtinatæ exemit ſententiæ.* Vnus igitur homo naſcente primitus mundo, unus erat; unus, renaſcente. Vnus homo, & tanquam Deus, quia à Deo: Homo, & in terram ſuam abjectus, &c.

Cap. XIV. pag. 42. lin. 1. *denuo jungerentur.*] Adde: Platonis hæc doctrina eſt apud Ciceronem, lib. II. de Oratore: *Eſt etjam illa Platonis vera vox, Omnem doctrinam ingenuarum & humanarum artium uno quodam ſocietatis vinculo contineri.* Mox diſtinctè de Eloquentia: *Vna eſt eloquentia, quaſcumque in oras diſputationis regionéſve delata eſt:* Paucis interjectis: Sed *quoniam oppreſſi jam ſumus opinionibus, non modò vulgi, verùm etjam hominum leviter eruditorum, qui, quæ complecti tota nequeunt, hæc faciliùs divulſa, & quaſi diſcerpta contrectant: & qui tanquam ab anima corpus, ſic à ſententiis verba ſejungunt.* Aliæ quoque artes in exemplum proferuntur. *Vna fingendi eſt ars, in qua præſtantes fuêrunt, Myro, Polycletus, Lyſippus: qui omnes inter ſe diſſimiles fuerunt; ſed ita tamen, ut neminem ſui velis eſſe diſſimilem. Vna eſt ars, ratioque picturæ, diſſimillimique tamen inter ſe Zeuxis, Aglaophon, Apelles: neque eorum quiſquam eſt, cui quicquam in arte ſua deeſſe videatur.* Vt numerum tamen, &c.

Poſt hoc Cap. XIV. pag. 44. lin. 12. *quem penes eſt virtus.*] Adde: Caput XV. *Vna virtus uni vitio contraria, unum vitium uni virtuti.* Virtus ſi una eſt, unum etiam vitium, quod virtuti opponitur. Sic Antiqui tradunt, Vnum uni, non multa contraria eſſe: Plato, Ariſtoteles, & reliqua ſchola Philoſophorum. Sed nos hîc Ariſtotele contenti ſimus, lib. x. Metaph. cap. IV. *Fieri non poteſt, ut uni plura contraria ſint.* Quomodo igitur lib. II. Moralium,

 cap. IX.

Digitized by Google

cap. IX. *Virtus mediocritas eſt; mediocritas autem inter duo vitia, quorum alterum excedit modum, alterum deſerit?* Annon duo extrema duo contraria ſunt, & contraria uni? annon contraria vitia, & uni Virtuti? Sanè ejuſdem Philoſophi ſcito, *extrema & cum medio, & inter ſe pugnant; nec non cum extremis medium.* Præterea: *Malè facere multis modis licet; bene, uno.* Hunc nodum nobis feliciter diſſolvit vir omni unus doctrina & virtute magnus LAVRENTIVS RAMIRIVS PRATENSIS, Eques Ordinis S. IACOBI, Regi Catholico à conſilijs Indicis: qui cùm adoleſcens eſſet, viros ingenio vicit; cùm vir, neminem habuit quicum certaret, quàm ſeipſum. Vnus hic igitur ſcivit, Virtutem unam uni vitio contrariam eſſe, vitium unum uni virtuti: ſcivit nihilominus, inter duo vitia virtutem mediam conſiſtere: eſſe virtutem,

Illud quod medium eſt, atque inter utrumque probamus.

Pulchra ſunt & omnium oculis digna, quæ in Pentecontarcho ſuo, velut πολυμαθίας theſauro, capite X. diſputat. Ne longus ſim, rem totam exemplo, tanquam doctrinæ compendio exprimam. Pulcherrima Virtutum Liberalitas eſt, inter avaritiam & prodigalitatem media, dandi modum ac retinendi definiens. Quatenus erogat pecuniam, avaritiæ contraria eſt, prodigalitati non eſt: quatenus retinet, prodigalitati contraria eſt, avaritiæ non eſt. Avaritia enim non repugnat in omnibus actibus liberalitati; ſed in uno tantùm, in quo conſiſtit largitio bonorum: prodigalitas verò è contrario deſtruit bonorum retentionem. Oppone avaritiam liberalitati retinenti, prodigalitatem eroganti, neutra neutri contraria erit, ſed quod dici ſolet, ad virtutis conditionem ſumptâ perſonâ vitium accedet.

Fallit enim vitium ſpecie virtutis & umbrâ.

Cicero diſertè in Partitionibus Orat. *Cernenda ſunt diligenter, ne fallant nos ea vitia, quæ virtutem videntur imitari. Nam & prudentiam malitia, & temperantiam immanitas in voluptatibus aſpernandis, & magnitudinem animi ſuperbia in animis extollen-*

extollendis, & integritatem deſpicientia in contemnendis honoribus, & liberalitatem effuſio, & fortitudinem audacia imitatur, & patientiam duritia immanis, & juſtitiam acerbitas, & religionem ſuperſtitio, & levitatem mollitia animi, & verecundiam timiditas, & illam diſputandi prudentiam concertatio captatioque verborum, & hanc oratoriam vim inanis quadam profluentia loquendi. Eadem ratione virtus quæ circa ardua verſatur, & Fortitudo dicitur, partim ad ſubeunda pericula, partim ad vitanda inclinat. Vis ſubire? fortis eris, & virili actione contrarius timido: vis vitare? cautus eris, & recti ſpecie timidus tibi volet ſimilis eſſe. Inverto ſcenam: vis vitare? cautus eris, & ſic contrarius furioſo: vis ſubire? fortis eris, & recti ſpecie tibi furioſus accedet. Reliquas virtutes in Pentecontarcho vide: ſcribere Vnus Pentecontarchum potuit.

CAP. XV. quod in XVI. mutandum eſt, pag. 44. lin. 17. Vna quoque felicitas eſt] Adde: de qua pulchrè inter alios Boëtius, lib. III. de Conſolatione Philoſophiæ, proſâ II. *Omnis mortalium cura, quam multiplicium ſtudiorum labor exercet, diverſo quidem calle procedit; ſed ad unum tamen beatitudinis finem nititur pervenire. Id autem eſt bonum, quo quis adepto, nihil ulteriùs deſiderare queat.* Imò hæc eſt felicitas, una, non uno omnibus voto expetita, non uno quæſita vitæ tramite. Vna; ſed unâ ſyllabâ, &c.

EODEM Capite, pag. 47. lin. 14. *vario tumultu cuncta turbat.*] Adde: Huc quoque verba Senecæ faciunt, lib. I. de Clementia, cap. III. *Hæc immenſa multitudo, unius animæ circumdata, illius ſpiritu regitur, illius ratione flectitur, preſſura ſe ac fractura viribus ſuis, niſi conſilio ſuſtineretur.* Quin etjam, &c.

CAP. XIX. pag. 58. lin. 21. Sed totam lubet hiſtoriam,] Adde: ſive A. Gellii, lib. I. cap. XXIII. ſive Macrobii, &c.

CAP. XX. pag. 60. lin. 21. ad finem. *Q. Fabius Gurges Nepos.*] Adde: Quid Romanis, & adhuc parvis inhæreo? Vna hodie Auſtriaca, verè Auguſta, Pia, Catholica, in

qua

qua duodecim hactenus Imperatores, Rudolphus, Auſpurgius, Albertus, Fridericus III. Pulcher, Albertus II. Fridericus IV. Pacificus, Maximilianus, Carolus V. Ferdinandus, Maximilianus II. Rudolphus II. Matthias, Ferdinandus II. Quanta nomina! quanta ſæculorum ornamenta! Vna hæc majeſtas, tot fulgens ſceptris, quot unus non capit mundus, duos unum mitiſſimo imperio facit; tot radians virtutibus, quot verâ Religione continentur, ſic in terris ubique regit populos, ut ad cælum erigat; imò ſic in hoſtes pugnat, ut auream omnibus felicitatem temporum optatâ pace reſtituere conetur.

Cap. XXII. pag. 67. lin. 5. in Argumento, *unus.*] Adde: *unus*, *plures.* Pag. 68. lin. 8. Ad finem, *duo ſimus.*] Adde: Vnus interdum plures ſunt, cùm pompam mendacio oſtentatores captant, aut callidè ſimulant. Quòd non poſſunt ſumptu, agunt ingenio, & cùm vix unum domi habent famulum, videri volunt turbam trahere. Lepidum à Scriptore ad Herennium, lib. IV. exemplum adfertur, in Notatione hominis, qui præclarum putat divitiis cenſeri: *Primùm nunc videte, quo vultu nos intueatur. Nónne nobis videtur dicere, Darem, ſi mihi moleſti non eſſetis? Cùm verò ſiniſtrá mentum ſublevat, exiſtimat ſe gemmæ nitore, & auri ſplendore adſpectus omnium perſtringere. Cùm puerum reſpicit, hunc unum, quem ego novi, vos non arbitror noviſſe, alio nomine appellat, deinde alio, atque alio. Heus tu, inquit, veni Sannio, nequid iſti Barbari perturbent: ut ignoti qui audiunt, unum putent eligi de multis. Ei dicit in aurem, aut ut domi lectuli ſternantur, aut ab avunculo rogetur Æthiops, qui ad balneas veniat, aut aſturconi locus ante oſtium ſuum detur, aut aliquod fragile falſæ Choragium gloriæ comparetur. Deinde exclamat, ut omnes audiant: Videte, ut diligenter enumeretur, ſi poteſt ante noctem. Puer, qui bene hanc hominis naturam novit: Tu illò plures mittas oportet, inquit, ſi hodie vis tranſnumerari. Age, inquit duc tecum Libanum & Soſiam. Sanè.* Et quis iſte Libanus? quis Soſia? unus Sannio. Si res dicenda eſt, ipſum herum licet Sannionem nomines. Quid tandem? Cæcus ſit,

ſatis

ſatis in uno ſive Libano, ſive Soſia, ſive Sannione pompæ oſtentabit. Oſtentavit Aſclepiades Philoſophus: quem Cicero ſcribit, lib. v. Tuſcul. Quæſt. *cùm quidam quæreret, quid ei cæcitas attuliſſet, reſpondiſſe, Puero ut uno eſſet comitatior.* Nimirum ut unus ducatur, unus qui ducat ſatis eſt: puer unus facit, quod duo oculi: & qui cæcus, huc redigitur, ne ſolus ſit.

Cap. XXIV. Pag. 70. lin. 21. Alphabetum unum exprimunt.] Adde: quod cùm omnes contineat litteras, ab una tamen alteráve potiſſimùm dicitur. Vna illa Alpha eſt, quaſi Alepha, ab Hebræis. Sed qui Alpha, & ſic Alphabetum invenire potuit, omnia potuit. Hinc ἀλφηστὴς, *inventor*, atque etiam *honoratus.* Dignus enim honore eſt, qui inventione rei & artis bonæ hominibus utilis: ſed rem & artem bonam primo loco Alphabetum nomines. Ab Alpha igitur verbum ἀλφέω, ἀλφαίω, ἀλφαίνω, ἀλφάνω, ἀλφάζω, ἀλφαδέω, eadem ſignificatione *invenio*, vel *excogito.* Etjam hæc una Littera dignitatem ſibi vindicat. Quippe Alpha pro eo ſumitur, qui primus eſt: quemadmodum apud Martialem *Alpha Penulatorum.* Sacri quoque oraculi vox eſt: Ego ſum α, & ω, id eſt *Principium & finis,* Quid Pentalpha? Hygiæ typus, & ſalutis, imò victoriæ ſymbolum. Hac teſſera Antiochus Soter adverſus Galatas pugnavit & vicit, cùm per nocturnam imaginem ſe monitum ab Alexandro diceret. Ad rem: ſi miraculum quæris, &c.

Cap. XXV. pag. 72. lin. 8. quod majus eſt:] Adde: regit amore civium, quod, teſte Seneca, lib. 1. De Clementia, cap. XIX. *unum eſt, & inexpugnabile munimentum.* Vnum eſt, &c.

Cap. XXVI. pag. 74. lin. 11. multi erunt.] Homerus id oſtendit Iliad. N.

--- Οἱ δ᾽ ἄρα πάντες ἕνα φρεσὶ θυμὸν ἔχοντες,
Πλησίοι ἕστασαν.

—— *Vnum omnes animum roburque gerentes,*
Conjunxêre gradum.

CAP. XXVII. pag. 78. lin. 12. in argumento, *Vnus dies multis longior*] Adde: *par omni.* Pag. 80. lin. 17. Inſcriptiunclita] Scribe: Inſcriptiuncula, in quibuſdam exemplaribus. Pag. 81. Ad finem capitis, *ſuper millia.*] Adde: Velut mantiſſa, Heracliti accedat gnome, quam Seneca refert, epiſt. XII. *Vnus dies par omni eſt.* An & explicationem non unius addo? ſed ex eodem Seneca: *Hoc alius aliter accepit: dixit enim parem eſſe horis, nec mentitur. Nam ſi dies tempus eſt vigintiquatuor horarum, neceſſe eſt omnes inter ſe dies pares eſſe: quia nox habet, quod dies perdidit.* Nimirum dies omnes Civiles inter ſe pares ſunt, qui ſpatio lucis noctiſq; terminantur: Naturales, qui noctem excludunt, non ſunt. Itaque quando lucis tempus extenditur, noctem breviorem relinquit; quando contrahitur, longiorem. νυχθήμερον enim diem & noctem includit, & periodo XXIV. horarum Æqualium continetur. Quid porrò Seneca? *Alius ait, parem eſſe unum diem omnibus ſimilitudine: nihil enim habet longiſſimi temporis ſpatium, quod non in uno die invenias, lucem & noctem, & alternas mundi vices.*

CAP. XXIX. pag. 82. lin. 15. in Argumento, *Vnum virtutis munimentum.*]. Adde: *Vnum, noſtrum.* In ipſo capite, pag. 83. lin. 20. Sed unum, ut magnum eſt;] Adde: ita quod noſtrum, unum eſt, Tempus. Senecam audiamus, epiſt. I. *Omnia aliena ſunt, tempus tantùm noſtrum eſt. In hujus rei unius fugacis ac lubricæ poſſeſſionem natura nos miſit.* Vnum etjam ut noſtrum eſt: ita ipſius Dei hominis ore, &c.

CAP. XXX. pag. 85. lin. 19. in Argumento, *turbam ſapere:*] Adde: *& eloquentiâ plus poſſe.* Pag. 87. lin. 22. ad finem capitis, *repperit ſolertia.*] Adde: Quantum verò unitas poſſit, ipſa oſtendit eloquentia; imò quantum eloquentia, ipſa ſuo pretio unitas. Auſim eloquentiam unitate, & unitatem eloquentiâ æſtimare. Hominem ſi facundum cum forti componimus, amplius verba

quàm

quàm vires poterunt: ſed facundum unum ſi cum omnibus infacundis, plus unus, quàm omnes. Hæc ex Ariſtide, oratione 11. Platonicâ: *Qui unus eloquentiâ præſtat, is & ſingulis, & omnibus ſimul eſt ſuperior. Robore quidem ſiquis excellit, quamvis uno aliquo ſit fortior, duobus tamen eum poſſe ſuccumbere, & Archilochus teſtatur, & proverbium. Sin etjam utrumque vincat; facilè tamen quot eum ſuperent, reperiantur.*

Nam collatâ hominum fit virtus, ---

inquit Homerus, de ea loquens, quæ cernitur in viribus corporis. At in dicendo ne omnes quidem ſimul uni præſtent excellenti; nec ea res collatâ virtute geritur, ſed unus ac multi tantumdem valent, ſuam ſinguli victoriæ partem, ut in pulchritudine cedentes. Donec enim unus aliquis non præſtet, nullius eſt momenti communio vel multitudo, quamvis etjam Darii exercitum adduxeris. Refert igitur, quis loquatur ac verba faciat. Vnus uno abſolvet, quod alius ne quidem denis aut centenis. Appoſitè Plautus, Trinummo:

Nimiò citiùs tranſiges: firmum omne erit, quod tu egeris.
Gravius erit tuum unũ verbum ad eam rem, quàm centum mea.

CAP. XXXI. Pag. 88. lin. 14. manſueto ſuæ] Scribe: manſueto ſue.

CAP. XXXIV. Pag. 93. lin. 8. perfectio eſſet.] Scribe eſt. Pag. 94. lin. 20. & ad ſummum Patrem aſcendit.] Scribe: & ad culmen aſcendens, Patrem; ſecunda lata, &c. Lin. 23. Spiritum Sanctum denotar.] Adde: Hebræorum, א tam piæ quoque contemplationi ſerviens, totum καὶ ἀκίχητον repræſentat Deum. E tribus enim & hęc figura lineis conſtat, ſupremâ, infimâ, mediâ. In ſuprema Patrem, in infima Filium, in media Spiritum S. venereris: tanquam crucis ſignum formes a fronte ad pectus deductâ manu, ab humero in humerum decuſſatim tranſlatâ. Eò litteræ utriuſque imago tendit, ut doceam, &c.

Sed nec in Addendis ſervari ordo potuit: CAP. XVIII. pag. 55. lin. 5. in Argumento præmitte: *Scæva, item Horatij,* &c. Lin. 8. celebrem.] Adde:

Quem non mille ſimul turmis, & Cæſare toto
Auferret fortuna locum, victoribus Vnus
Eripuit, vetuitque capi, ſeque arma tenente,
Ac nondum ſtrato, Magnum viciſſe negavit.
Scæva viro nomen.

In ſcuto pugnantis inventa eſſe foramina ccxxx. ipſe Cæſar ſcribit, lib. III. de bello Civili: Valerius Maximus, ccxx. lib. III. cap. II. Virtutis hoc fuiſſe nomen videtur. Alter enim Scæva, de quo Plutarchus in Cæſare, expeditione Britannicâ, ingenti Barbarorum multitudini unus reſiſtens, *quinque militum diurno prælio ſuffectura pila* (Valerij verba ſunt) *unâ dexterâ hoſtium corporibus adegit. Ad ultimum tragulâ femur trajectus, ſaxique pondere ora contuſus, galeâ jam ictibus diſcuſſâ & ſcuto crebris foraminibus abſumpto, profundo ſe credidit, ac duabus loricis onuſtus, inter undas, quas hoſtili cruore infecerat, enatavit: viſoque Imperatore, armis non amiſſis, ſed bene impenſis, cùm laudem mereretur, veniam petiit: magnus prælio, ſed major diſciplinæ militaris memoriâ.* Non profectò prętereundus Horatius Cocles, qui pari fortunâ ac animo, poſtquam unus hoſtes undique inſtantes ſuſtinuiſſet, reciſo ponte, ne Tiberim quidem armatus exhorruit, formoſo periculo, poſtquam periculo Patriam liberaſſet. Cum Livio dicam, &c.

Satisne iſta? Satis, etjamſi pauca. Sed plura alii ſcripsêre, qui & ipſi plures: inter Veteres ſingulari libro Boëtius, inter nuperos Picus. Etjam de Hieronymo Cardano me monuit integerrimæ vitæ, variæque lectionis vir, & familiaris meus, Theodorvs Vanlonivs, inter picturæ Principes inventionis majeſtate, totiuſque artis præſtantiâ famam adeptus. Vnus ille eſt, qui luculentiſſimis tabulis ſuis, quaſi totidem miraculis, templum Aſpricollenſe ornavit & implevit: qui cùm otium Litterarum in Belgio quæreret, aërem & amœnitatem urbis Lovanienſis valetudini & ingenio recreando elegit. Quia & Cardani opera recenter inſpexerat, illud de Vno non fruſtra collaudavit. Eſt autem *Introductio hæc quædam*, ut ipſe

ipſe libro de libris propriis appellat, *ad Dialecticam, libros Theognoſtôn, & de arcanis æternitatis. Demonſtratur Vnitas & ordo univerſi, Mundus incorporeus qualis, & quòd ſolum quod unum, etjam bonum eſt.* Operæpretium fortaſſis ſit, in unum aliquod volumen quæ de Vno à non uno ſcripta ſunt, conferre, & publicè exhibere. Quia autem unus hic liber futurus eſt, Auctor non unus, tanquam unus legetur.

VNVM etjã & intercalare ſupereſt Caput ſuo loco inſerendum. CAPVT, inquam, IX. *Ævum unum, immenſum, ſine origine, ſine fine.* Etjam ævum admiratione dignum, quia unum eſt. Cùm tempus vocare poſſis, limites tamen omnes temporis excedit, & omnia unum complectitur tempora. Philoſophantem Timæum Locrum audiamus, De Anima mundi: *Tempus hoc noſtrum, ingeniti temporis, quod ævum appellamus, ſimulacrum eſt. Nam ut imitatione exempli æterni, qui pulcherrimus eſt mundus, genitum eſt hoc cælum: ſic hoc ipſum tempus ad exemplar æternitatis factum eſt.* Hæc eadem Chalcidius, luculento in Timæum Platonis Commentario: Mihi ſatis, verba, formulam claudentia, adjungere: *Ævi ſubſtantia uniformis in ſolo perpetuoque præſenti.* Ἀιὼν enim unde Latinis ævum, ἀπὸ τοῦ ἀεὶ ὄντος: *quod ſemper ſit.* Varroni lib. v. de Lingua L. *ab ætate omnium annorum* Ævum dicitur: Iſidoro lib. v. Orig. cap. XXXVIII. *Ætas perpetua, cujus neque initium, neque extremitas naſcitur.* Nihil ſic quidem temporis ante, nihilque poſt ævum eſt, nihil inde perit, nihil huc accedit. Vnum eſt & immenſum, quaſi cum Deo, qui unus & immenſus. Cenſorinus unus exprimat quæ dicenda ſunt omnia, libro de Die Natali, cap. XVI. *De Ævo, quod eſt tempus unum & maximum, non multum eſt quod in præſentia dicatur: eſt enim immenſum, ſine origine, ſine fine, quod eodem modo ſemper fuit, & ſemper futurum eſt, neque ad quempiam hominum magis, quàm ad alterum pertinet.* Ævi hieroglyphicum ſerpens in orbem convolutus, caudam ore admordens: quem aptiſſimis verſibus Claudianus exprimit, Panegyrico II. in Stiliconem:

Digitized by Google

Eſt ignota procul, noſtraque impervia menti
Vix adeunda Deis, annorum ſqualida mater,
Immenſi ſpelunca Ævi, quæ tempora vaſto
Suppeditat, revocatque ſinu. Complectitur antrum,
Omnia qui placido conſumit numine Serpens:
Perpetuumque viret ſquamis, caudamque reducto
Ore vorat, tacito relegens exordia lapſu.

FINIS.

INDEX CAPITVM,

EX ADDENDIS SVPPLETVS.

CAPVT I. *Ingreſſus ad Amœnitatem* VNIVS. *Argumenti pretium, ac partitio.*

CAP. II. *In Vno eſſe omnia, & omnes: Vnum in omnibus.*

CAP. III. *Vnus non uno modo dicitur. Ennii verſus peculiariter expenſus.*

CAP. IV. *Omnia Vnus. Vnum multa. Non unus. Vnus præcipuus. Vnus primus.*

CAP. V. *Vnius conjuncta, item compoſita, & adverbia.*

CAP. VI. *Formulæ unius diverſæ. Vnus, & Vnus è multis.*

CAP. VII. *Vno efferri omnia. Vnius pluralitas, & plenitudo.*

CAP. VIII. *Res conſiderata. Deus unus, unus & omnis. Natura una. Monadis conditio.*

CAP. IX. *Ævum unum, immenſum, ſine origine, ſine fine.*

CAP. X. *Omnia & ſingularia unum. Ens unum & univocum.*

CAP. XI. *Chaos unum. Mundus unus. Terra una, unâ potiſſimùm gente mundum illuſtrans.*

CAP. XII. *Natura Dei index. A Deo omnia, ab uno varia. Sol unus, una Luna, Elementa ſingularia.*

CAP. XIII. *Ab uno homine omnes homines. Vni omne ferè malum adeſſe. Vni nocere quemcumque poſſe, cuicumque unum.*

CAP. XIV. *Vna aliquando lingua. Vnâ Apoſtoli uſi, quam omnes velut ſuam intelligebant.*

CAP. XV. *Veritas una, Scientia una, Virtus una.*

CAP. XVI. *Vna virtus uni vitio contraria, unum vitium uni virtuti.*

CAP. XVII. *Vna felicitas, quæ unâ mutari ſyllabâ poteſt. Omnium una, quæ publica. Ab Vno publicam optimè regi.*

CAP. XVIII. *Vna Religio, & Vniverſalis: ſub uno Capite, divinitus conſtituto.*

CAP. XIX. *Vnius prærogativa exemplis explicata. Epimenidis ſomnium.*

CAP. XX. *Scæva, item Horatii Coclitis Virtus ſingularis & eminens.*

CAP. XXI. *Plura in unum collecta Vnius paradigmata. Vnius viri una mulier: unius mulieris unus vir.*

CAP. XXII. *In feminis quoq; & familiis varietas ſingularis.*

CAP. XXIII. *Hominis conſideratio. Membra omnia ad unitatem reducta.*

CAP. XXIV. *Plures homines, unus: unus, plures.*

CAP. XXV. *Ætates ſingulæ ſingulari laude. Vnus aliquis ex intervallo vir ſingularis. Vnus Phœnix. Vir bonus tanquam Phœnix.*

CAP. XXVI. *Vnum Alphabetum, omnis doctrina.*

CAP. XXVII. *Vnitas in proverbiis æſtimata, in Vnitate arcanum.*

CAP. XXVIII. *Vnitas laboris & quietis, pugna & victoria. Vir unus inſtar multorum.*

CAP. XXIX. *Vnus, qui bonus. Vnum hominem agere. Vnus dies multis longior, par omni.*

CAP. XXX. *Vnus dies pretium omnium: & unus homo omnium.*

CAP. XXXI. *Vnum ſcire. Vnum virtutis munimentum; unum noſtrum. Vnum convivii ferculum. Vnum vitæ ſcitum & ſcutum. Vnus ad unum.*

CAP. 32.

Digitized by Google

Cap. XXXII. *Amplius unum aliquē, quàm turbam ſapere.*

Cap. XXXIII. *Ex uno, & in uno varietas.*

Cap. XXXIV. *Vnus homo omnis homo. Vna vita, una mors.*

Cap. XXXV. *Res omnis niſi una eſſet, non eſſet.*

Cap. XXXVI. *Deus ipſe, quia Deus, Vnus & Trinus eſt. Vnâ litterâ Vnum & Trinum exprimi.*

Cap. XXXVII. *Deus unus finis omnium. Homo unus aliquid Dei habet. Omnis in uno eſt.*

APPROBATIO.

Liber iſte per varias Litterarum amœnitates currens, & in Deum tandem recurrens, præſtantiſſima quæque, ſingularia etjam eſſe & unitatem amare, amœnè oſtendit, Auctore ſuo & prælo dignus. Lovanii, Cal. Octobr. CIↃ. IↃC. XXXIII.

LIB. FROMONDVS *S. Th. Doct. Libr. Cenſor Archiepiſcopalis.*

CVM PRIVILEGIO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EM.

Digitized by Google